

PA3404
D2

PA 3404

.D 2

DEMETRII ET LIBANII

QUI FERUNTUR

ΤΥΠΟΙ ΕΠΙΣΤΟΛΙΚΟΙ ΕΤ
ΕΠΙΣΤΟΛΙΜΑΙΟΙ ΧΑΡΑΚΤΗΡΕΣ

EDIDIT

VALENTINUS WEICHERT



BOSTON COLLEGE LIBRARY
CHESTNUT HILL, MASS.

MCMX

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

UNIVERSITÄT LEIPZIG

LIBRARY

PHYSIKALISCHES INSTITUT

LEIPZIG

1888

PHYSIKALISCHES INSTITUT

33

161316

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI

RICARDO FOERSTER
HUGONI RABE

S.

Prooemium.

Cum iam multi viri docti quaesiverint, quid veteres de epistulis scribendis praeceperint¹⁾, historia autem critica epistolae graecae hucusque non exstet, huic operi, quo tempore haud ita remoto nos donatum iri speramus, me non nihil profuturum esse spero, si antiquissimos libellos de conscribendis epistulis compositos nova recensione, quae omnibus, quantum fieri potest, codicibus adhibitis nititur, edidero atque praefationis loco quae veteres de ea re docuerunt composuero.

Priusquam autem ad rem ipsam accedam, iucundissimum mihi oritur officium, ut omnibus, qui in hac scriptione componenda opera et consilio me adiuverunt, ex animi sententia gratias debitas agam, imprimis Ricardo Foerster, magistro venerando, et Hugoni Rabe Hannoverano, qui copias suas summa liberalitate mihi concessit, et viris doctissimis Castiglioni, Demarchi, Mercati, Poynton, Ratti, qui libros in usum meum contulerunt, nec non illustrissimo Principi de Radolin omnibusque bibliothecarum moderatoribus, qui codices mihi Vratislaviam miserunt vel imagines eorum luce exprimendas curaverunt.

1) H. Peter, *Der Brief in der römischen Literatur*, Leipzig 1901; H. Rabe, *Griechische Briefsteller* in *Mus. Rhen.* LXIV (1909), p. 284 sqq.

De epistolae origine variisque generibus.

Epistularum usus ex antiquissimis temporibus apud omnes gentes scribendi peritas floruit neque Hellanico¹⁾ assentiemur Atossam inventricem fuisse epistolae dicenti, sed epistolam sua sponte et nullo quasi auctore²⁾ effloruisse censebimus. inventam autem eius causa esse epistolam, »ut certiores faceremus absentes, si quid esset quod eos scire aut nostra aut ipsorum interesset«, Ciceroni³⁾ facile adstipulabimur. ex quo autem imperatores magistratusque non per nuntios sed per litteras quae egissent ad senatum aut populum rettulerunt, epistolae in publicas et privatas divisae sunt.

a) De epistulis publicis.

Sed epistolae publicae⁴⁾ non omnes ab iis viris scriptae erant, a quibus mittebantur. nam cum reges vel magistratus saepissime vel tempus vel litterarum peritia deficeret, homines eruditos fideique spectatae sibi adsciverunt, quibus officium scribendi epistulas committerent. hi viri, qua erant doctrina et fide, apud Graecos semper magni aestimati nec raro summis muneribus publicis functi sunt. cuius rei exemplum afferatur Eumenes Cardianus, qui per viginti annos Philippi, Amyntae filii, et Alexandri ἀρχιγραμματεὺς erat⁵⁾, a quo »novissimo tempore, ut ait Cornelius Nepos⁶⁾, alterae equitum alae, quae Hetaerica appellabatur« praefectus est. nec minore honore ii utebantur, qui Alexandri successoribus

1) Mueller, Fragm. hist. Graec. I 68.

2) Cf. A. Westermann, De epistolarum scriptoribus graecis. Progr. Univ. Lipsiae 1851, p. 3.

3) Cicero ep. II 4, 1.

4) Cf. Rostowzew, ab epistulis, apud Pauly-Wissowa VI 210.

5) Plut. Eum. 1.

6) Eum. 1.

ab epistulis erant, id quod testatur Polybius, qui Megaleam¹⁾ et Dionysium²⁾ in numero amicorum Syriae regum fuisse dicit. a regibus Aegypti epistolographi cognati (*συγγενεῖς*)³⁾ dicti sunt. nec praetermiserim memoriae proditum esse Isocratem Timotheum, Heracleae tyrannum, in bellum secutum esse, ut epistulas eius scriberet.⁴⁾

Ptolomaeos autem C. Iulius Caesar imitatus esse videtur, apud quem Trogum, equitem Romanum, epistularum curam habuisse Iustinus⁵⁾ narrat. ab imperatoribus usque ad Hadriani tempora eam provinciam servis vel libertis demandatam fuisse Spartianus⁶⁾ testis est. hoc tamen magis ad eos, qui ab epistulis latinis, quam ad eos, qui ab epistulis graecis erant, videtur pertinere, cum a Neronis temporibus usque ad Traianum Dionysius Alexandrinus⁷⁾ grammaticus et Othoni Secundus⁸⁾ rhetor epistularum scriptoris munere functus sit. alius Neronis epistolographus erat Nicasimachus Diaphanes, cuius epistula ad Rhodios scripta adhuc exstat.⁹⁾

Hadrianus, qui ipse litteris graecis maxime favebat, doctissimum quemque Graecum Romam vocavit, cui officium epistulas conscribendi deferret. ex quo tempore epistolographi in maiore honore esse coeperunt, quorum in numero viri nobiles, ut P. Rutilius Bassus¹⁰⁾ et C. Suetonius Tranquillus, et rhetores ac sophistae¹¹⁾ clarissimi inveniuntur. exempli gratia affero ab epistulis fuisse Hadriano C. Avidium

1) Polyb. hist. IV 87, 8.

2) Polyb. hist. XXX 25, 16.

2) Cf. M. Strack, Griechische Titel im Ptolemäerreich, in Mus. Rhen. (1900) vol. 55 p. 167 sqq.

4) Isocr. ep. 7.

5) Iustin. XLIII 5, 11.

6) Vit. Hadr. 22.

7) Suidas s. v.

8) Plut. Oth. 9.

9) v. L. Lafoscade, De epistulis imperatorum magistratuumque Romanorum, quas ab aetate Augusti usque ad Constantinum graece scriptas lapides papyrive servaverunt, Insulis 1902 sub num. 7.

10) v. Lafoscade sub num. 20.

11) Cf. O. Hirschfeld, Die kaiserlichen Verwaltungsbeamten², 1905, p. 319 sqq. et L. Friedländer, Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms⁶, 1888, tom. I p. 181 sqq.

Heliodorum¹⁾, M. Aurelio Alexandrum Peloplatona, eidem, ut videtur, et Commodo Cornelianum, Commodo Adrianum Tyrium, Severo et Caracallae Antipatrum, Aspasium alios.

Ex quo autem sophistae ab epistulis esse coeperunt, factum est, ut hanc quoque partem eruditionis colerent suaeque disciplinae alumnis traderent et ab his exercitationis causa epistulae virorum illustrium, quas certa rerum condicione scripturi fuissent, componerentur, quae postea, quasi verae essent, in antiquorum libris sunt positae.

Illas autem magistratum et imperatorum epistulas sive ab ipsis sive a scribis conscriptas rerum et vitarum scriptores in opera sua receperunt, velut Thucydides, Xenophon, Sallustius, Ammianus alii, sed etiam velut Claudius Quadrigarius finxerunt epistulas ad locos graviores illustrandos²⁾, ita ut nunc quidem falsum rectumque discernere saepe perdifficile sit. sed haec de epistulis publicis.

b) De epistulis privatis.

Privata autem epistula quamquam ex antiquissimis temporibus semper floruit et viguit, tamen in litterarum numerum non est recepta, quod sine arte composita, cum ab eo ad quem data erat perlecta esset, proposito satisfacerat. neque tanti aestimabantur in libera re publica singuli, ut epistulae privatae eorum dignae existimarentur, quae memoriae traderentur. itaque, quales hae epistulae fuissent, omnino ignoraremus, nisi nobis ipsae papyris³⁾ aliisque materiis servatae essent. exempli gratia affero antiquissimam epistulam Graecam scriptam in tabella plumbea [4 × 7 cm], quae Chaëdaris, in vico prope Athenas sito, reperta nunc in Museo Regio Berolinensi asservatur. scripta est saeculo quarto a. Chr. n primum edita a R. Wuensch⁴⁾,

1) Testimonia vide apud Westermannum et Friedlaenderum ll. ll.

2) Cf. Peter, l. l. p. 169.

3) Cf. Witkowski, Epistulae privatae graecae, Lipsiae 1907.

4) Defixionum tabellae Atticae 1897, p. 2.

accuratius autem ab Ad. Wilhelm¹⁾, secundum quem praebet inscriptionem hanc: *Φέρειν ἰς τὸν κέραμον τὸν χυτρικόν· ἀποδοῦναι δὲ Ναυσίαι ἢ Θρασυκλῆι ἢ θ' υἱῶι.* textus autem est: *Μνησίεργος ἐπέστειλε τοῖς οἴκοι χαίρειν καὶ ὑγιαίνειν καὶ αὐτὸς οὕτως ἔφασ[κ]ε [ἔχεν]. Στέγασμα εἴ τι βόλεστε ἀποπέμψαι ἢ ὡας ἢ διφθέρας ὡς εὐτελεστά<τα>ς καὶ μὴ σισυρωτάς καὶ κατύματα: τυχὸν ἀποδώσω.* editae autem videntur esse primae Aristotelis et Alexandri epistulae²⁾, quorum exemplum Epicurus eiusque discipuli secuti sunt.

c) De epistulis litteratis.

Aliud autem genus epistularum et inventum a Graecis et saepissime adhibitum est, illud dico, quod ex dialogo ortum dialogi locum in litteris obtinebat³⁾. nam cum Athenae Musarum sedis unice nomine florebant, non solum inter se ipsi colloquebantur viri docti, sed etiam dialogi forma in scriptis componendis utebantur. sed litteris propagatis cum et Alexandriae et Pergami et Antiochiae et Rhodi a philosophis et rhetoribus ludi haberentur, quod ludorum magistros per litteras inter se communicare necesse erat, effectum est, ut iam non dialogi sed epistulae forma ad quaestiones tractandas uterentur. quam viam Epicurus primus videtur iniisse⁴⁾, qui crebro ad amicos in Aegypto, in Asia, Lampsaci versantes epistulas mittebat, et cum epistulam arte minore quam dialogum scribere liceret, ea scribendi ratio magis magisque adhibita est. cuius modi fuerunt scripta Mnesithei⁵⁾, medici Atheniensis, *περὶ κωθωνισμοῦ*,

1) Jahresberichte des öst. arch. Instituts in Wien (1904), tom. 7 p. 94 sqq., cf. W. Crönert, Die beiden ältesten griech. Briefe, Mus. Rhen. N.S. 65 (1910) p. 157.

2) Cf. U. de Wilamowitz, Griech. Lit. in „Kultur der Gegenwart“ VIII² p. 89 et 98. Pridik, De Alex. Magni epistularum commercio, Diss. Dorpati 1893, p. 104sq. I. Kaerst, Der Briefwechsel Alex. d. Großen, Philol. 51, p. 602 et Philol. 56 p. 406.

3) Cf. Peter, l. l. p. 13 sqq.

4) Cf. Usener, Epicurea p. XLI.

5) Cf. Peter, l. l. p. 17 sq.

X Qui rhetores de conscribendis epistulis praeceperint.

Lyncei Samii *δειπνητικαὶ ἐπιστολαί*, Polemonis *περὶ καννάθρου*, de proverbio *μωρότερος Μορούχου*¹⁾, *περὶ ἀδόξων ὀνομάτων* alia.

Quo ex genere epistulae institutoriae, ut cum Pompeio loquar, facile illud est ortum, quod adhibebatur ad animum movendum et regendam voluntatem. illi autem, qui tales condebant epistulas, non illi soli scribebant, ad quem mittebant, sed alios eundem fructum ex iis capere volebant. cuius modi epistulas iam Aristotelem conscripsisse constat; idem Epicurus consecrabatur, cum ad Dositheum et Pyrsonem epistulam consolatoriam de Hegesianacte mortuo dabat. moralium autem epistularum inventor Seneca videtur fuisse, e quo Cyprianus, Lactantius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus hauserunt.

Haec fere sunt epistularum genera, nam epistulas ad versuum mensuram coactas, cum haud difficile generibus quae dixi inseri possint, praetermitti posse existimo.

Qui rhetores de conscribendis epistulis praeceperint.

Cum igitur epistularum usus tanti aestimaretur, rhetores atque sophistas de hac eruditionis parte peculiariter docuisse minime est mirandum. ac primum quidem antiquissimis temporibus scriptores claros de hac re praecepta non dedisse constat, cum neque Dionysius Halicarnasseus neque auctor ad Herennium neque Cicero neque Quintilianus talia memoriae tradiderint. quin etiam recusavit Cicero, ne, »*quod in mandatis aut ad regem aut ad populum aliquem a senatu exponendis accuratiore genere orationis utendum esset, id propriis praeceptis instrueretur*«. ²⁾ tamen et apud Ciceronem et apud alios scriptores antiquos velut apud Aristotelem, Isocratem — si quidem cum Wilamowitzio ³⁾ aliisque ⁴⁾ epi-

1) Cf. Diels, Herm. XL 303 sq.

2) Cic. de orat. II 12, 49.

3) Aristoteles und Athen II 391.

4) Cf. Christ-Schmid, Gesch. der griech. Litt., München 1908, I 541 adn. 1.

stulas alteram et octavam genuinas esse censemus — Quintilianum (inst. IX 4, 19), Senecam (ep. 75), nonnulli loci inveniuntur, quibus, quae de ratione epistulas conscribendi censeant, per occasionem docent. in eadem causa Artemo, qui Aristotelis epistulas edidit¹⁾, videtur fuisse, quem in praefatione editionis de arte epistulas scribendi dixisse licet suspicari.²⁾ peculiariter autem hanc rem auctor *Περὶ ἑρμηνείας*, qui Demetrius appellari solet, quamquam Phalereus nullo modo potest esse³⁾, primus videtur tractavisse. quem auctorem non ante primum post Chr. saeculum floruisse censet H. Diels.⁴⁾

De eadem re in progymnasmatis docuit Theo, qui primo post Chr. saeculo fuit.⁵⁾

Tertia nominetur epistula Philostrati Lemnii, qui fuit ab a. 191. usque ad annum 264.⁶⁾ quae commentatio non *Διαλέξεων* fragmentum est, ut Kayser, Philostrati editor, dixit, sed ea epistula quam Philostratus contra Aspasium sophistam scripsit⁷⁾, cuius rei testis est Flavius Philostratus, qui in vita Aspasii dicit (vit. soph. II 33, 3 K.) ἡ δὲ ξυγγεγραμμένη ἐπιστολὴ τῷ Φιλοστράτῳ περὶ τοῦ πῶς χρῆ ἐπιστέλλειν πρὸς τὸν Ἀσπάσιον τείνει, ἐπειδὴ παρελθὼν εἰς τὰς βασιλείους ἐπιστολὰς τὰς μὲν ἀγωνιστικώτερον τοῦ δέοντος ἐπέστελλε, τὰς δ' οὐ σαφῶς, ὧν οὐδέτερον βασιλεῖ πρόπον.

Eadem de re agitur in epistulis Gregorii Nazianzeni, qui fuit ab a. 330 ad a. 390, et Isidori Pelusiotae, qui circa a. 440 p. Chr. n. mortuus est, ad Ophelium grammaticum, et Photii ad Amphiloichium metropolitam Cyzici, qua pauca de iis viris, qui in epistulis scribendis imitandi sunt, exponit.

1) Demetr. *Περὶ ἑρμηνείας* ed. Raderm. p. 47.

2) Cf. Rabe, Rh. Mus. 64 p. 291.

3) Cf. Christ, Griech. Litt.⁵ II 58 et Peter, l. l. p. 20.

4) Über das 3. Buch der aristot. Rhet. in Abh. der Berl. Akad. 1886. IV p. 24 adn. 1.

5) Cf. Wilamowitz, Griech. Lit.² p. 151.

6) Cf. K. Muenschler, Die Philostrate in Philol. suppl. X p. 556 sq.

7) Philostrati epp. ed. Boissonade p. 49.

sed praeter has duae exstant commentationes graecae, quarum prior inscribitur Δημητρίου Φαληγρέως τύποι ἐπιστολικοί, altera Λιβανίου σοφιστοῦ ἐπιστολιμαῖοι χαρακτηῆρες vel Πρόκλου περὶ ἐπιστολιμαίου χαρακτηῆρος, de quibus infra accuratius disseretur.

Veterum de epistulis conscribendis praecepta.

Iam quae veteres de epistulis scribendis docuerint¹⁾ quoque modo alius ab alio pendeat paucis exponamus.

a) De epistulae definitione.

Omnium virorum, quos supra diximus, licet verba diversa sint, paene eadem doctrina est. Demetrius enim (περὶ ἔρμηνείας 1) τὴν ἐπιστολὴν οἶον τὸ ἕτερον μέρος τοῦ διαλόγου esse dicit. cuius verba auctor ἐπιστολιμαίων χαρακτηῆρων, quem iam littera L significo, agnoscit, cum dicit p. 14, 1: ἐπιστολὴ μὲν οὖν ἔστιν ὁμιλία τις ἐγγράμματος ἀπόντος πρὸς ἀπόντα γινομένη. eodemque modo Synesius²⁾ epistulam ἐν ἀπουσίᾳ σωμάτων φαντασίαν τῆς παρουσίας praebere posse dicit, et Apollonium et Musonium in vincula coniectos ἐπιστολιμαίους ξυνουσίας fecisse apud Philostratum³⁾ scriptum est.

b) De genere dicendi.

Ita factum est, ut in scribendis epistulis eadem atque in dialogo vel etiam in sermone praecepta adhibenda esse doceretur. dicit enim Cicero⁴⁾ se »epistulas cotidianis verbis texere solere« et Seneca⁵⁾ »qualis sermo meus esset, si una sederemus aut ambularem, inlaboratus et facilis, tales epistulas meas esse volo, quae nihil habent accersitum ac fictum.«

1) Cf. Gerhard, Untersuchungen zur Geschichte des griech. Briefes, Philol. 64, 27 sqq.

2) Synesius ep. 138 p. 724 Herch.

3) Philostr. Vit. Apoll. 164, 22 K.

4) Cic. ep. IX 21, 1.

5) Seneca ad Lucil. ep. 75 ed. Hense.

quem Quintilianus secutus¹⁾): »*Est, inquit, igitur ante omnia oratio alia vineta atque contexta, soluta alia, qualis in sermone et epistulis, nisi cum aliquid supra naturam suam tractant, ut de philosophia, de re publica similibusque.*« iisdem fere verbis Artemo apud Demetrium l. l. dicit ὅτι δεῖ ἐν τῷ αὐτῷ τρόπῳ διάλογόν τε γράφειν καὶ ἐπιστολάς. sed idem Demetrius Artemonem impugnans epistulam paulo ornatiorē dialogo esse oportere docet, cum litteris mandata quodam modo dono mittatur. haud aliter Philostratus elocutionem ἀττικωτέραν μὲν ξυνηθείας, ξυνηθεστέραν δὲ ἀττικίσεως in epistulis scribendis requirit, et L testimonio Philostrati allato φράσεως ἀρετῆ τὴν ἐπιστολὴν κατακοσμεῖν oportere dicit et auctor Τύπων ἐπιστολικῶν, quem iam littera D significo, epistulam ὡς τεχνικώτατα scribi vult.

c) Quas res epistulis tractari liceat.

Atque etiam quas res in epistula tractare liceat, docuerunt veteres ita, ut cum re vera omnes fere res in litteris tractarentur, eam veram epistulam putarent esse, qua certior fieret aliquis. quod Demetrius (π. ἐρμ. 8) his verbis expressit:

Εἰδέναι δὲ χρὴ, ὅτι οὐχ ἐρμηνεῖα μόνον, ἀλλὰ καὶ πράγματά τινα ἐπιστολικά ἐστίν. Ἀριστοτέλης γοῦν, ὃς μάλιστα ἐπιτετευχέναι δοκεῖ τοῦ τύπου²⁾ ἐπιστολικοῦ, τοῦτο δὲ οὐ γράφω σοί, φησιν, οὐ γὰρ ἦν ἐπιστολικόν· εἰ γὰρ τις ἐν ἐπιστολῇ σοφίσματα γράφοι καὶ φυσιολογίας, γράφει μὲν, οὐ μὴν ἐπιστολὴν γράφει. φιλοφρόνησις γὰρ τις βούλεται εἶναι ἢ ἐπιστολὴ σύντομος, καὶ περὶ ἀπλοῦ πράγματος ἕκθεσις καὶ ἐν ὀνόμασιν ἀπλοῖς.

d) De brevitate.

Inde effectum est, ut epistularum magnitudinis certus modus praescriberetur, atque a Demetrio longae epistulae omnino repudiarentur, posteriores concedentes, ut res graviores litterarum forma tractarentur, modum epistulae in

1) Quint. Inst. orat. IX 4, 19 ed. Halm.

2) τύπου scripsi cum Herchero aliisque.

utilitate ponerent. Demetrius enim (έρμ. 6) docet: Τὸ δὲ μέγεθος συνεστάλθω τῆς ἐπιστολῆς ὡσπερ καὶ ἡ λέξις· αἱ δὲ ἄγαν μακροαὶ καὶ προσέτι κατὰ τὴν ἐρμηνείαν ὀγκωδέστεραι οὐ μὰ τὴν ἀλήθειαν ἐπιστολαὶ γένοιντο ἄν, ἀλλὰ συγγράμματα τὸ χαίρειν ἔχοντα προσγεγραμμένον, καθάπερ τῶν Πλάτωνος πολλὰ καὶ ἡ Θουκυδίδου.

Gregorius autem et eos qui longius et eos qui brevius quam par sit scribant vituperans modum epistularum utilitate definiri neque copiosius scribendum esse, ubi multa negotia non sint, neque parcius, ubi multa, dicit. quod praeceptum L agnoscit his verbis (p. 20, 14): Τὸ μὲν οὖν μέγεθος τῆς ἐπιστολῆς ὡς πρὸς τὰ πράγματα καὶ οὐ πάντως τὸ πλήθος καθάπερ κακίαν ἀτιμάζειν καλόν, ἀλλὰ δεῖ καὶ τινὰς ἐπιστολὰς ἀπομηκύνειν ἐν καιρῷ πρὸς τὴν ἀπαιτοῦσαν χρεῖαν.

e) De perspicuitate.

Omnes autem qui de scribendis epistulis scripserunt, ne brevitate lux atque perspicuitas epistularum obscurantur, praecipunt. qua de causa Demetrius dissolutiones crebras, id est dialogi rationem, epistulis non convenire dicit et L ne sententiae ex philosophia depromptae dialecticum in morem epistulis inserantur, monet et perspicuitatem Philostratus¹⁾ in epistulis scribendis postulat, cum Antipatrum Severi epistolographum laudat, quod σαφήνεια τὰ λεγόμενα εἶχε²⁾, Aspasium autem vituperat, quod imperatoris epistulas non perspicue scripserit, quae res ei vitio vertenda sit, ἐπειδὴ νόμους φθέγγεται, σαφήνεια δὲ ἐρμηνεύς νόμου.³⁾

Accuratius autem alter Philostratus epistula contra Aspasium scripta⁴⁾ hanc rem exponit, cum docet (p. 15, 13 Herch.): σαφήνεια δ' ἀγαθὴ μὲν ἡγεμῶν ἅπαντος λόγου, μάλιστα δὲ ἐπιστολῆς. καὶ γὰρ διδόντες καὶ δεόμενοι καὶ ξυγχοροῦντες καὶ μὴ καὶ καθ'απτόμενοι καὶ ἀπολογούμενοι καὶ ἐρωτῶντες ῥᾶου πείσομεν, ἢν σαφῶς ἐρμηνεύσωμεν. σαφῶς δὲ

1) Cf. K. Muenschler, l. l. p. 510 et 556.

2) Philostr. Vit. soph. p. 108, 26 (K.)

3) Philostr. Vit. soph. p. 126, 21.

4) Cf. Muenschler, l. l.

ἐρμηνεύσομεν καὶ ἔξω εὐτελείας, ἣν τῶν νοηθέντων τὰ μὲν κοινὰ καινῶς φράσωμεν, τὰ δὲ καινὰ κοινῶς.¹⁾

Eisdem fere verbis L Philostratum secutus epistulam perspicuitate ornari oportere dicit. quod etiam Gregorius (ep. 51=259 p.15 Herch.) docet, simul quo modo perspicuitatem assequi possimus explicans ita: *Περὶ δὲ σαφηνείας ἐκεῖνο γνώριμον, ὅτι χρὴ φεύγοντα τὸ λογοειδές, ὅσον ἐνδέχεται, μᾶλλον εἰς τὸ λαλικὸν ἀποκλίνειν καί, ἴν' εἴπω συντόμως, αὕτη τῶν ἐπιστολῶν ἀρίστη καὶ κάλλιστα ἔχουσα, ἢ ἂν καὶ τὸν ἰδιώτην πείθῃ καὶ τὸν πεπαιδευμένον, τὸν μὲν ὡς κατὰ τοὺς πολλοὺς οὖσα, τὸν δὲ ὡς ὑπὲρ τοὺς πολλοὺς, καὶ ἢ αὐτόθεν γνώριμος. ὁμοίως γὰρ ἀκαιρον καὶ γριφον νοεῖσθαι καὶ ἐπιστολὴν ἐρμηνεύεσθαι.*

f) De verborum ambitu.

Perspicuitatem autem facilius assequi posse eos, qui epistulas scribant, cum longos ambitus verborum fugiant, dicunt veteres. ac Demetrius eius modi circuitus omnino aspernatur, cum dicit: *Τάξει μέντοι λελύσθω μᾶλλον (sc. ἐπιστολή)-γελοῖον γὰρ περιοδεύειν, ὥσπερ οὐκ ἐπιστολήν, ἀλλὰ δίκην γράφοντα. καὶ οὐδὲ γελοῖον μόνον, ἀλλ' οὐδὲ φιλικόν.*

Philostratus autem in epistulis brevibus ambitus longos adhiberi non vetat, in amplioribus nisi sub finem eis utendum non esse dicit ita: *Κύκλον δὲ ἀποτορνεύειν ἐν μὲν ταῖς βραχυτέραις τῶν ἐπιστολῶν ξυγχωρῶ, ἵνα τούτῳ γοῦν ἢ βραχυλογία ὠραϊζήται ἐς ἄλλην ἢχὼ πᾶσα στενὴ οὖσα. τῶν δὲ ἐς μῆκος προηγμένων ἐπιστολῶν ἐξαιρεῖν χρὴ κύκλους. ἀγωνιστικώτερον γὰρ ἢ κατ' ἐπιστολὴν τοῦτο, πλὴν εἰ μὴ που ἐπὶ τελευτῆς τῶν ἐπεσταλμένων ἢ ξυλλαβεῖν δέοι τὰ προειρημένα ἢ ξυγκλεῖσθαι τὸ ἐπὶ πᾶσι νόημα.*

g) De ornamentis oratoriis.

Epistulas quamquam simplici quadam ac tenui ratione conscribi necesse sit, tamen non omnibus orationis luminibus

1) Cf. Isocrat. IV 8 τὰ παλαιὰ καινῶς διελθεῖν καὶ περὶ τῶν νεωστὶ γεγενημένων ἀρχαίως εἰπεῖν.

privandas sed mediocriter ornandas esse praecipunt. de qua re Isidorus Pelusiota (lib. V ep. 133)¹⁾ dicit haec:

Ὁ ἐπιστολιμαῖος χαρακτηρ μήτε παντάπασιν ἀκόσμητος ἔστω μήτε μὴν εἰς θρύψιν κεκοσμημένος ἢ τρυφήν. τὸ μὲν γὰρ εὐτελές, τὸ δὲ ἀπειρόκαλον. τὸ δὲ μετρίως κεκοσμηῆσθαι καὶ πρὸς χρεῖαν καὶ πρὸς κάλλος ἀρκεῖ.

Demetrius autem solis proverbiiis epistulam ornari oportere dicit, quod proverbium vulgare atque commune sit, sententias arte quadam compositas afferendas non esse. sed postea rhetores permisisse ut non solum sententiae sed etiam philosophorum placita et aenigmata et ioci et mythi in epistulis conscribendis adhiberentur, testes sunt Gregorius Nazianzenus et L. alia autem artificia rhetorica, velut figuras, paria paribus opposita, similiter cadentia, membra syllabarum serie sibi respondentia aut omnino sophistis relinquenda aut maxima cum moderatione adhibenda esse Gregorius solus dicit (p. 16. Herch.) τροπὰς δὲ παραδεξόμεθα μὲν, ὀλίγας δέ, καὶ ταύτας οὐκ ἀναισχύντους. ἀντίθετα καὶ πάρισα καὶ ἰσόκωλα σοφισταῖς ἀπορρίψομεν. εἰ δέ που καὶ παραλάβοιμεν, ὡς καταπαίζοντες μᾶλλον τοῦτο ποιήσομεν ἢ σπουδάζοντες. ceteri de hac re omnino non disserunt.

h) De scribentium moribus per epistulas exprimendis.

Sequitur ut doceam praeceptum esse, ut epistulae et scribentium mores reddant et ad eum, ad quem scribuntur, accommodatae sint. qua de re in Theonis progymnasmatis (Rhet. gr. ed. Spengel II 115) scriptum est: Πρῶτον μὲν τοίνυν ἀπάντων ἐνθυμηθῆναι δεῖ τό τε τοῦ λέγοντος πρόσωπον ὁποῖόν ἐστι καὶ πρὸς ὃν ὁ λόγος. atque Demetrius Πλεῖστον δέ, inquit, ἐχέτω τὸ ἡθικὸν ἢ ἐπιστολή, ὥσπερ καὶ ὁ διάλογος. σχεδὸν γὰρ εἰκόνα ἕκαστος τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς γράφει τὴν ἐπιστολήν· καὶ ἔστι μὲν καὶ ἐξ ἄλλου λόγου παντὸς ἰδεῖν τὸ ἦθος τοῦ γράφοντος, ἐξ οὐδενὸς δὲ οὕτως ὡς ἐπιστολῆς.

Idem Philostratus praecepit, cui Marcus Aurelius ex principibus optimas videtur scripsisse epistulas, quod πρὸς τῶ

1) Migne, Patr. gr. tom. 78, p. 1404.

κεκριμένῳ τοῦ λόγου καὶ τὸ ἐδραῖον τοῦ ἥθους ἐντετύπωτο τοῖς γράμμασιν.

Epistulas autem eis, ad quos mittuntur accommodari oportere apparet e Demetrii verbis: Ἐπεὶ δὲ καὶ πόλεσιν ποτε καὶ βασιλεῦσι γράφομεν, ἔστωσαν τοιαῦται αἱ ἐπιστολαὶ μικρὸν ἐξηρημέναι πως. στοχαστέον γὰρ καὶ τοῦ προσώπου, ᾧ γράφεται.

Haec protulisse ad veterum de epistulis scribendis praecepta illustranda satis sit. iam nos vertamus ad eam potissimam dissertationis partem, qua de D et L agendum est. ac primum quidem nobis paucis quaerendum erit de auctore atque aetate libelli D.

De libello, qui τύποι ἐπιστολικοί inscribitur.

a) De auctore.

Quamquam in codice longe praestantissimo M (Marc. 418) libellus Demetrio Phalereo tribuitur, tamen, cum Demetrii temporibus eiusmodi scripta composita esse a verisimilitudine abhorreat neque ille libellus ingenio Demetrii dignus sit, alteram codicum familiam quamvis deteriore secuti libellum incerti auctoris esse censebimus, sed nomen auctori Demetrium fuisse suspicabimur. nam si libellus sub Demetrii nomine notus erat, facile fieri poterat, ut a viro semidocto clarissimo illi Demetrio Phalereo tribueretur, praesertim cum libellus περὶ ἐρμηνείας inscriptus, in quo et ipse de scribendis epistulis agitur, sub eiusdem nomine notus esset. sed utut haec res se habet, certe auctor fuit rhetor quidam, qui et ipse disciplinae suae alumnis praecepta dedit et in usum eorum libellum conscripsit, ut data occasione haberent, unde epistularum exempla promerent. Heraclides enim ille, ad quem commentatiuncula datur, e numero eorum rhetoris discipulorum videtur fuisse, qui officia sua magistratui cuidam praestituri erant. quod ut censeam, ea potissimum re perducor, quod in definitione amicalis epistulae nisi praefectorum et praetorum mentio non fit et scribae ipsi commemorantur (p. 1, 6 ὑπὸ τῶν τὰς τοιαύτας τοῖς ἐπὶ

πραγμάτων ταπτομένοις ὑπουργίας ἀναδεχομένων; p. 2, 22 ὑπό τινων ἀξιοῦνται φιλικὰ γράψαι). praeterea de praefectis et subditis agitur in epistulis undecima et nona.

Magistratus autem nominatim allati (p. 2, 23) loca certa indicant, quibus libellus conscriptus sit. legitur enim in Μ στρατηγ στρατηγούς διοικέτας quod vix aliter resarciri potest nisi στρατηγούς ἐπιστρατήγους διοικητάς¹). hi autem magistratus ita coniuncti nisi in Aegypto non fuerunt. accedit quod alio loco Alexandriae urbis mentio fit (p. 10, 2 καταπλεύσας ἡμην εἰς Ἀλεξάνδρειαν), id quod non casu factum esse verisimile est, cum aliae quoque res Aegypto optime convenient. de itinere navali, quo saepissime Aegyptiis utendum erat, dicitur in ep. 16 οὔτε γὰρ πλοῖόν ἐστιν εὐπορῆσαι πάντων εἰλκυσμένων πρὸς τὰς λειτουργίας. quoties munia publica Aegyptiis subeunda fuerint, nuper docuit Hohlwein in Mus. Belg. XII (1908) p. 89 sqq. etiam naves ad eandem rem temporibus Lagidarum et Romanorum contrahebantur, ut Rostowzew ostendit (Klio VI (1906) p. 255). Nili accolarum proprium erat edictis magistratuum repugnare, quam ad rem bene quadrat locus (p. 7, 10) τοιοῦτος γὰρ ὢν παρὰ τῶν ὄχλων τὴν εὐφημίαν καὶ τὴν ἀρχὴν ἀσάλευτον ἔξεις. accedit quod ἐπιστολογράφοι Aegyptii ex antiquissimis temporibus noti sunt²). denique nomen Heraclidae in Aegypto frequentissimum erat.

b) Quo tempore libellus conscriptus sit.

Antiquissimam commentationem de scribendis epistulis in Aegypto compositam esse non mirum est considerantibus, quantopere usus epistularum apud Aegyptios floruerit quantaque auctoritate epistolographi usi sint³). iam oritur quae-

1) In hac parte facere non possum quin sequar Brinkmannum, Der älteste Briefsteller, Mus. Rhen. 64 (1909), p. 310 sqq.

2) Grenfell-Hunt, Tebt. Pap. I 112, 87. Witkowski, Epist. priv. gr. p. 34 adn.

3) Cf. Maspéro, Du genre épistolaire chez les anciens Égyptiens de l'époque Pharaonique in Bibl. de l'école des hautes études, s. phil. et hist. XII (1873), p 26 sqq.

stio, quo modo illi τύποι cum epistulis in Aegypto repertis congruant. quam rem tractavit Brinkmannus l. l. p. 313 sq. invenit nonnullos locos typorum crebro in papyris exstantes, velut καλῶς (οὖν) ποιήσεις cum participio coniunctum (p. 3, 12), ἐπισκοπῶν τοὺς ἐν οἴκῳ (p. 3, 13), γράφων . . . περὶ ὧν αἴρη (p. 3, 15), quibus addo μή τινος ἔχωσι χρείαν (p. 3, 13), εἰάν τινος χρείαν ἔχησι Witkowski, Epp. priv. 10, 7, εἰάν περὶ τινός σου χρείαν ἔχημι 11, 4; χρείαν ἔχων 12, 5, ὧν ἂν ἔχησι [χρείαν 14, 9. et παρακαλεῖν . . . δι' ἐπιστολῆς ἔκρινα τοῦτο ποιῆσαι p. 5, 10. cf. ἀσπάσασθαι . . . διὰ γραμμάτων ἐκρίναμεν σημεῖναι Witk. 48, 15 adn. ad. ep. 44, 4; διὰ γραμ. ἔκρι]να ποιῆσαι Witk. 51, 4 et παρακαλῶν [oro, precor] p. 12, 1 cf. Witk. 53, 9 et 58, 6.

At epistulis modo adhibitis etiam quando libellus conscriptus sit, indicatur. illae enim epistolae omnes aut infima Ptolomaeorum aetate aut primis saeculis dominationis Romanorum scriptae sunt. quamquam haec res ad certum iudicium ferendum non sufficit, tamen libellum temporibus ethnicis conscriptum esse ea re efficitur, quod semper dei afferuntur, non unus deus, velut p. 7, 21 θεοί, p. 11, 3 παρὰ θεοῖς, p. 11, 5 πρὸς δὲ θεοὺς εὐσέβειαν, p. 11, 12 εἰάν οἱ θεοὶ θέλωσι, p. 9, 19 καλῶς ἐποίησεν ἡ τύχη, p. 11, 2 βουλομένης τῆς τύχης, quae formulae etiam in papyris saepe occurrunt¹⁾. desunt omnino elocutiones periphrasticae, quae inde a quarto p. Chr. saeculo in deliciis habebantur quaeque in exemplis spuriiis codicum ABP inveniuntur, velut p. 12, 11 ὑπὲρ τῆς σωτηριώδους ὑμῶν διαμονῆς ὁσημέραι εὐχόμενοι εὖ ἔχειν πυνθάνεσθαι ταύτην λίαν ἔχομεν ἐρωτικῶς et p. 12, 17 τὰ τῆς σῆς λαμπρότητος ὑγιεινὰ γράμματα. maximi autem momenti sunt magistratus allati (p. 2, 21). munus enim strategae edictis Diocletiani et Constantini sublatum est, ut U. Wilcken docuit in Hermae vol. 27 p. 297 sqq. sed spatium his rebus datum etiam artius circumscribitur magistratu διοικητοῦ commemorato p. 2, 22. quo titulo usque ad medium primum a. Chr. n. saeculum quaestores et

1) Cf. Brinkmann, l. l. p. 314.

urbani et rustici significari solebant (Grenfell-Hunt, Tebt. Pap. II 282)¹⁾, temporibus autem dominationis Romanorum hic titulus non ante alteram partem secundi p. Chr. saeculi occurrit²⁾. aliis quoque indiciis aetas hellenistica indicatur. legimus enim (p. 3, 13sq.) καλῶς οὖν ποιήσεις πυκνότερον ἐπισκοπῶν τοὺς ἐν οἴκῳ. vocabula vero οἱ ἐν οἴκῳ, quae aetate Lagidarum maxime usitata erant, inde a secundo p. Chr. saeculo vocabulis οἱ ἔνοικοι vel adverbiiis πανοικεῖ et πανοικησία excipiuntur. verbum autem ἐπισκοπεῖν eodem usu nisi intra annos 130 a. Chr. et 27 p. Chr. nunquam in permultis epistulis post hunc annum conscriptis invenitur, ut docuit Brinkmannus l. l. p. 315. eadem fere tempora indicari usu atque vi verborum αἴρεσιν (p. 3, 2), ἀντιπέπτωκεν (p. 9, 2), ἀντιφωνῆσαι (p. 7, 23), ἀπάντησιν (p. 11, 4), ἀπαρασήμαντον (p. 11, 3), ἀποδοχῆς (p. 3, 21), διασάφησον (p. 8, 1), εἰλκυσμένων (p. 9, 3), πυκνότερον (p. 3, 13), συμπαριστάμενος (p. 3, 14), κεχαρισμένον ὑπάρχειν (p. 1, 12) idem vir doctus ostendit. omnibus his rebus computatis satis certo efficitur libellum intra alterum a. Chr. et medium saeculum primum p. Chr. compositum esse et Brinkmanno facile assentiemur de priore potius quam posteriore huius spatii parte cogitandum esse.

De libello, qui ἐπιστολιμαῖοι χαρακτηῆρες inscribitur.

a) Quo tempore libellus conscriptus sit.

Quam ad rem cognoscendam primum consideremus

α) e quibus fontibus auctor hauserit.

Multis locis auctorem sophistarum praecepta secutum esse apparet, quamquam, ex quo hauserit, pro certo dici non potest. cuius rei ut nonnulla testimonia afferam, vocem χαρακτηῆρας

1) Cf. Wilcken, Ostraka I 493 et Strack, Archiv f. Pap. II 559.

2) Cf. P. Meyer, Festschrift für Hirschfeld p. 145 sq. Archiv f. Pap. II 559.

non modos et veluti formas elocutionis¹⁾, sed varia epistularum genera argumentis diversa significare²⁾ statuendum est. idem significat χαρακτήρ apud Apollonium Tyan. ep. 19 (p. 113 Hercher) πέντε εἰςὶ σύμπαντες οἱ τοῦ λόγου χαρακτῆρες, ὁ φιλόσοφος, ὁ ἱστορικός, ὁ δικανικός, ὁ ἐπισταλτικός, ὁ ὑπομνηματικός. epistulae definitionem sophistarum praecepta redolere iam supra dictum est. eosdem auctor in variis epistulae generibus definiendis secutus est.

Εἰρωνεία, quod erat σχῆμα orationis ex Aristotelis³⁾ temporibus notum atque usitatum, simili modo atque in L definitur apud Gregorium Corinthium (περὶ τρόπων VIII 773 W.) ita: *Εἰρωνεία* ἐστὶ φράσις τοῖς ῥητοῖς λεγομένη τούναντίον μεθ' ὑποκρίσεως et apud Anonymum περὶ σχημάτων VIII 648 W.: *Εἰρωνεία* ἐστὶν ἔμφασις κακίας δι' εὐφήμων ῥημάτων⁴⁾.

Definitio autem ἀντεγκληματικῆς (p. 17, 3) maxime sapit verba Quintiliani VII 4: *Ἀντέγκλημα* dicitur, quia omnis nostra defensio constat eius accusatione, qui vindicatur⁵⁾.

Eodem fere modo, quo ἐγκώμιον et ἔπαινον inter se differre docetur (p. 17, 15), distinguunt Aristides (τεχν. ῥητ. II 505 Sp.) — ἔπαινος δὲ τὸ ἐπὶ μικροῖς γινόμενον, οἷον τὸ εὖ καὶ καλῶς ... τὸ δὲ ἐγκώμιον ἐπὶ μεῖζον ἐξάγει, διόπερ κατὰ διέξοδον γίνονται — Hermogenes (προγυμν. II 11 Sp.) ἔπαινον δὲ διαφέρει τὸ ἐγκώμιον, ὅτι ὁ μὲν ἔπαινος καὶ ἐν βραχεῖ γένοιτ' ἄν ..., τὸ δὲ ἐγκώμιον ἐν μακροτέρῳ διεξόδῳ, alii⁶⁾.

Σαφήνειαν autem ex Isocratis temporibus omnes, qui de

1) Velut apud Demetr. de eloc. § 36 et Syrianum p. 107, 25 (Rabe).

2) Cf. Ernesti, Lexicon Technologiae Graecorum Rhetoricae, Lipsiae 1795. s. v. χαρακτῆρες.

3) Aristot. Rhet. II 7.

4) Cf. Zonaeum VIII 679 W., Alexandrum VIII 451 W., Phoebammonem VIII 512 W., Herodianum VIII 590 W., Cocondrium VIII 788 W., Tryphonem VIII 759, 817, 724 W.

5) Praeterea cf. Syrian. in Hermog. II 147 R., Sopatr. VIII 16 sqq. W.

6) Velut Theon. progymn. II 109 Sp., Aphthon. progymn. II 35 Sp.

arte scribendi docuerunt, non minus quam συντομίαν ex-
postulant. quamquam Aristoteles quique eum secuti sunt
Isocrate vituperato¹⁾ non brevitāte mera, sed ea brevitāte,
quae rebus par sit, orationem instruendam esse dicunt. cuius
rei testis sit anonymus²⁾, [Cornutus Graeveni] qui Περὶ
μέντοι inquit συντομίας Ἀριστοτέλης ἐφίστησιν. εἰ γὰρ ἐστὶ,
φησί, ἡ συντομία συμμετρία τῆς μήτε παραλιπούσης τι τῶν
ἀναγκαίων, μήτε πλεοναζούσης, ἀρετὴ γενήσεται. εἰ δὲ ἐστὶν
ὥσπερ ἔνδεια τῆς ὑπερβαίνουσας τι τῶν χρησίμων, ἐν ταῖς
κακίαις μᾶλλον ταχθήσεται.

Id autem, quod de perspicuitate L docet, ex ipso Philo-
strato desumptum³⁾ esse, qui aliis quoque locis adhibitus
est, apparet his locis collatis:

Philostrati

ὑπεραττικίζων δὲ (Ἡρώδης
ὁ Ἀθηναῖος) καὶ ὑπερλαλῶν
ἐκπίπτει πολλαχοῦ τοῦ πρέ-
ποντος ἐπιστολῆς χαρακτηῆρος.

δεῖ γὰρ φαίνεσθαι τῶν ἐπι-
στολῶν τὴν ἰδέαν ἀττικωτέραν
μὲν ξυνηθείας, ξυνηθεστέραν
δ' ἀττικίσεως.

σαφήνεια δ' ἀγαθὴ μὲν
ἡγεμῶν ἀπαντος λόγου, μάλ-
ιστα δ' ἐπιστολῆς.

L

καὶ τὸ ὑπεραττικίζειν ἀλ-
λότριον τοῦ τῶν ἐπιστολῶν
καθέστηκε χαρακτηῆρος.

δεῖ γὰρ τὴν τῆς ἐπιστολῆς
φράσιν τῆς μὲν συνηθείας
ἀττικωτέραν εἶναι, τοῦ δὲ
ἀττικισμοῦ συνηθεστέραν.

σαφήνεια γὰρ ἀγαθὴ μὲν
ἡγεμῶν παντός λόγου, μάλιστα
δὲ ἐπιστολῆς.

Ea quae sequuntur (p. 20, 3) ex epistula Gregorii Na-
zianzeni supra laudata desumpta esse Hinckio videntur, id
quod mihi quidem non probatur. comparemus enim

L

Χρὴ μὲντοι μήτε συντο-
μία σαφήνειαν διαφθείρειν

Gregorii

Τῶν γραφόντων ἐπιστολὰς
... οἱ μὲν μακρότερα γρά-

1) Cf. P. Wendland, Anaximenes p. 41.

2) Rhetores Graeci edd. Spengel-Hammer I 370.

3) Cf. H. Hinck, Die ἐπιστολιμαῖοι χαρακτηῆρες des Pseudo-
Libanios, Annal. philol. et paed. 1869, p. 547 sq.

μήτε . . . ληρεῖν ἀμέτρως, ἀλλὰ τοῦ συμμέτρου στοχάζεσθαι τοὺς ἀκριβεῖς τοξότας μιμούμενον. ὥσπερ γὰρ οὔτε τὸ πολὺ τὸν προκείμενον τοῖς τοξόταις σκοπὸν παρέρχεσθαι οὔτε τὸ ἐντὸς τοῦ σκοποῦ τοξεύειν . . . ἀνδρός ἐστὶν εὐφροῦς . . . ἀλλὰ μόνου τοῦ μετ' εὐφραδείας τῆς συμμετρίας στοχάζομένου

τὸ μὲν οὖν μέγεθος τῆς ἐπιστολῆς ὡς πρὸς τὰ πράγματα . . . δεῖ καὶ τινὰς ἐπιστολὰς ἀπομηκύνειν ἐν καιρῷ πρὸς τὴν ἀπαιτοῦσαν χρεῖαν.

φουσιν ἥπερ εἰκός, οἱ δὲ καὶ λίαν ἐνδεέστερα καὶ ἀμφοτεροὶ τοῦ μετρίου διαμαρτάνουσιν ὥσπερ τῶν σκοπῶν οἱ τοξεύοντες, ἂν τε εἴσω πέμπωσιν ἂν τε ὑπερπέμπωσιν. τὸ γὰρ ἀποτυγχάνειν ἴσον κἂν ἀπὸ τῶν ἐναντίων γίνηται δέον ἀμφοτέρων φεύγοντα τὴν ἀμετρίαν τοῦ μετρίου κατατυγχάνειν.

ἔστι δὲ μέτρον ἐπιστολῶν ἡ χρεῖα.

Consensionem quandam inter L et Gregorium esse nemo negabit. sed cum apud L omnia melius atque accuratius dicta sint quam apud Gregorium, L e Gregorio hausisse credibile non est, immo contrarium verisimile est. cum autem similitudo inter utrumque locum non tanta sit, ut Gregorium e L hausisse pro certo affirmari possit, utriusque praecepta ad eundem fontem redire cautius dicemus.

β) a quibus L laudetur.

Etiam e scholiis a Syriano ad Hermogenis status scriptis L hausisse Hinckius dicit comparatis his locis:

L p. 15, 10

παραίνεσις γὰρ συμβουλῆς διαφέρει. παραίνεσις μὲν γὰρ ἐστὶ λόγος παραινετικὸς ἀντίρρησιν οὐκ ἐπιδεχόμενος, οἷον ὡς εἴ τις εἴποι ὅτι δεῖ τὸ

Syrian. II 192 ed. Rabe

ἔτι διαφέρει παραίνεσις συμβουλῆς . . . καὶ ἡ μὲν συμβουλή ἀντιλογία ἐπιδέχεται, οἷον «χρὴ βοηθεῖν Ὀλυθίοις», ἡ δὲ παραίνεσις οὐ,

θεῖον τιμᾶν . . . , συμβουλή οἶον «χορὴ τὸ θεῖον σέβειν,
 δ' ἐστὶ λόγος συμβουλευτικὸς γονεῖς τιμᾶν».
 ἀντίρρησιν ἐπιδεχόμενος, οἶον
 ὡς εἴ τις εἴποι ὅτι δεῖ πολε-
 μεῖν.

Sed horum quoque locorum cognatio alia mihi esse videtur atque Hinckius censet. nonne definitiones apud L multo accuratiores atque elegantiores sunt quam apud Syrianum? quae cum ita sint, non L e Syriano sed Syrianum e L hausisse censendum est, qua re ipsa primum testimonium notitiae Ἐπιστολιμαίων χαρακτηῆρων datur. alter testis est Maximus Confessor¹⁾, ut R. Foerster me docuit, qui verba (p. 26, 10) Συγχαίρειν χορὴ τοῖς φίλοις καλῶς πράττουσιν ὡς καὶ συναλγεῖν λυπουμένοις et (p. 33, 2) Αἱ ἐκ φίλων εἰς φίλους γεγόμεναι λῦπαι δυσθεράπευτοι λίαν τυγχάνουσι καὶ μείζους τῶν ἐχθρῶν ἔχουσι τὰς ἐπηρείας laudat²⁾ eaque Libanio tribuit. Maximus autem natus circa a. 580³⁾ aliquamdiu imperatori Heraclio ab epistulis fuit, haud dubie ante annum 630, quo monasterio Chrysopolitano praefectus est. qua re efficitur libellum, de quo agitur, brevi post a. 600 sub Libanii nomine notum fuisse. Antonius⁴⁾ quoque Maximum secutus in libro, qui Melissa inscribitur, Ἐπιστολιμαίους χαρακτηῆρας Libanio tribuit, cum illas sententias a Maximo laudatas affert⁵⁾.

Quibus rebus allatis tempus ab aetate Libaniana haud ita remotum indicatur. Syrianus enim, magister Procli Neoplatonici, circa a. 450⁶⁾ Athenis senex mortuus est. quo anno commentaria ad Hermogenis status scripserit, quamquam ignoramus, tamen Ἐπιστολιμαίους χαρακτηῆρας non

1) Maxim. Serm. 6, 550 Comb. = Migne, tom. 91, p. 764.

2) E Maximo hauserunt Michael Apostolius et Arsenius in *Συναγωγῇ παροιμιῶν*, Leutsch-Schneidewin, Corpus Paroemiograph. Graec. II p. 258 et 648.

3) Cf. Krumbacher, Byz. Litt.² p. 61.

4) Cf. Krumbacher, p. 600.

5) Antonii Melissa, Migne tom. 136 p. 852 et 853.

6) Cf. Hinck l. l. p. 548.

multo post a. 400 notos fuisse verisimile est. Libanio autem primus Maximus Confessor tribuit. sed cum is non ipse proverbia excerpssisse, verum proverbiorum collectione quadam usus esse videatur, iam ante Maximum Ἐπιστολιμαίους χαρακτηῆρας Libanio tributos fuisse putandum est.

b) De auctore.

Hic quaerat quispiam, quare nos Libanium auctorem esse negemus, cum aetas auctoris L ab aetate Libaniana haud ita multum distet. Priusquam ad id respondeamus, quae Libanius de epistulis conscribendis docuerit, accuratius perquiramus. minime enim dubium esse potest, quin Libanius disciplinae suae alumnis praecepta de conscribendis epistulis dederit et discipuli epistulis eleganter pangendis studuerint. quae praecepta, quamquam a Libanio ipso litteris mandata non sunt, tamen ex eius epistulis enucleari possunt. Libanius enim et in aliis scriptis et in epistulis atticismo studuit, sed τὸ ὑπεραττικίζειν haud dubie ab eis alienum est. quod bene quadrat ad verba L p. 19, 10 ἀττικίζειν μὲν μετρίως . . . p. 19, 12 τὸ ὑπεραττικίζειν ἀλλότριον τοῦ τῶν ἐπιστολῶν καθέστηκεν χαρακτηῆρος. ibidem p. 19, 18 postulatur, ut epistula ornetur σαφηνεῖα τε μάλιστα καὶ συντομίᾳ μεμετρημένῃ καὶ ἀρχαῖσμιῶ λέξεων. Libanius breves fere epistulas scribit, quamvis longas minime aspernetur. scribit enim ipse quoque litteras longas velut epp. 389, 393, 394 W.¹⁾ et tales epistulas laudat, velut ep. 1037 W. Ὅσῃν δὲ ὑμῖν ἡδονὴν τὰ πραχθέντα ἤνεγκε, τοσαύτην ἐμοὶ τὰ γραφέντα. Πρὸς γὰρ αὖ τοῖς ἄλλοις τό τε μῆκος τῆς ἐπιστολῆς ἢ τε διὰ πάσης χάρις ἐδείκνυεν, ὡς ἀγαθοῦ παιδὸς εἶης πατήρ. alio loco (ep. 36 W.) epistulis lectis molestias leviores fieri dicit addens fuisse γράμματα . . . οὔτω μικρά, προσθείην δ' ἂν ὡς οὐδὲ πάνυ καλά. Τί ποτ' ἂν οὖν ἔδρας, εἰ μακρὰ τε ἦν καὶ καλά; quamquam aliis locis se excusat, quod epistulas breves scripserit, velut ep. 372:

1) Libanii sophistae epistulae ed. I. C. Wolfus, Amstelædami 1738.

Περὶ δὲ τοῦ μέτρον τῆς ἐπιστολῆς δεῖ δήπου με ἀπολογήσασθαι et ep. 1031: Ὡσπερ γάρ, ὠγαθέ, μῆκος ἐπιστολῆς οὐ φιλίας ἔργον, οὕτως οὐδὲ βραχύτης σημεῖον ἔχθρας, tamen eum plerumque litteras breves scripsisse et modum epistularum non longitudinem esse, sed χρεῖαν iudicasse certum est. Confer modo verba epistulae 401 ποίοις Βοιωτοῖς συγγενόμενος ἀποβέβληκας τὴν περὶ τοὺς λόγους τέχνην; οὐ γὰρ ἐκεῖνό γε Ἀνδρονίκου, τὸ τὰς μὲν μακρὰς ἐπιστολὰς ἐπαινεῖν πανταχοῦ, τὰς δὲ οὐ μακρὰς ἐλαύνειν. ἀλλ' εὖ ἦδεις, ὡς ἐκατέρῳ τε ἔνι χώρα καὶ μετὰ τοῦ καιροῦ καὶ τοῦτο καὶ ἐκεῖνο καλόν cum verbis L p. 20, 14 τὸ μὲν οὖν μέγεθος τῆς ἐπιστολῆς ὡς πρὸς τὰ πράγματα ..., ἀλλὰ δεῖ καὶ τινὰς ἐπιστολὰς ἀπομηκύνειν ἐν καιρῷ πρὸς τὴν ἀπαιτοῦσαν χρεῖαν.

Etiam χάριν epistularum Libanius exposcit, cum χάριν epistulae Iuliani laudat (v. ep. 1037) et Palladium monet ep. 1117, ut cum cura et elegantia scribat. tales enim epistulae non solum a Libanio ipso legebantur, sed etiam cum amicis et discipulis communicabantur. cf. ep. 1129. quae res congruit cum L p. 21, 1: πληρώσει τε τὴν εἰς ἐπιστολὰς χάριν ἱστοριῶν τε καὶ μύθων μνήμη καὶ παλαιῶν συγγραμμάτων καὶ παροιμιῶν εὐστόχων καὶ φιλοσόφων δογμάτων χρῆσις. inuenies enim apud Libanium saepe ἱστορίας allatas velut: ep. 382 Cimonem patris aemulum fuisse; Xerxis expeditionem in Graeciam factam epp. 47. 1139. 1457; permultas fabulas, velut ep. 1031 de Gygis anulo, ep. 59 de Iasone, ep. 730 de Marsya, ep. 102 et 385 de Pirithoi et Thesei amicitia, ep. 1238 de Hercule, ep. 603 de Tantalo. saepe veterum scriptorum imprimis Homeri verba Libanius affert vel ad ea alludit, velut ad Homeri II. E 388 in ep. 1186, Γ 179 = ep. 1125, Π 149 = ep. 355, P 645 = ep. 1038, A 130 sqq. = ep. 1031, B 674 = ep. 382, Od. τ 426 = ep. 102, ι 84 = ep. 277, α 58 = ep. 1099¹⁾. idem de proverbii statuendum est, quae permulta inueniuntur velut in ep. 371 δεσμὸν χαλεπώτερον εἰς λύσιν τοῦ Γορδίου λέλυκας. 532 Ἀνδρὸν εἰς πεδίον προκαλεῖς. 1135 λευκῆ

1) Alia v. in edit. Wolfiana p. 852 sq.

στάθμη, 1042 μικρὰν . . . ἀρχὴν καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν Σκυρίαν. *ibid.*: εἰς τοὺς ὠμοτάτους Σκυθῶν ἐλθῶν, 213. 330. 1125 κοινὰ τὰ τῶν φίλων. 1142 Ἐμὲ δὲ μήτε κόθορνον μήτε Εὐριπον μήτ' ἀνέμου πεδίον ἠγήση. 714 Πτύω εἰς κόλπον, 730 εἰ καὶ αὐτὸς ὑπὸ τῆ παροιμίας γενήσομαι καὶ δόξω φεύγειν ἠτυχηκότα φίλον. 1117 ἀφ' ἐστίας ἀρχόμενος¹⁾).

Videmus igitur ea, quae in L de epistulis scribendis praecipiantur, cum Libanii usu congruere. idem de elocutione et de hiatus et clausularum rhythmicarum usu dicendum est. neque enim Libanius neque L, ut infra demonstrabitur, hiatum vitaverunt. elocutiones autem singulas Libanius non semper ita clausit, ut ante ultimam arsin duae vel plures theses positae sint. Litzica²⁾ enim Libanium in orationibus illam legem per centenas clausulas vices non observavisse vidit. in epistulis autem is numerus etiam maior est, nam inter 500 clausulas 122 minus quam duas theses ante ultimam arsin praebentes inveni, id est 24%. L magis ad illam legem observandam inclinatur, id quod in homine posterioris aetatis non mirum; nam apud eum per 100 clausulas 15 tantum lege exceptas inveni (v. infra).

Sed quamquam ea, quae in L de epistulis conscribendis praecipiantur, cum Libanii usu maxime congruunt, tamen libellum tam male dispositum a Libanio in lucem editum esse negandum est. nulla autem res nos impedit, quominus praecepta in L data e commentariolo, quo Libanius ad dissertationes scholasticas utebatur, provenisse censeamus. accedit, quod elocutio multis locis Libanium sapit. putamus igitur *Ἐπιστολιμαῖους χαρακτηῆρας* a discipulo quodam Libanii secundum ea, quae in ludo didicerat, magistro mortuo in lucem editos esse. epistulas autem, quamquam fortasse magnam partem e numero earum sunt, quae exercitationis causa in ludo Libanii componebantur, tamen omnes illic ortas esse necesse non est. quin etiam unus locus iam

1) Cf. nunc dissertationem E. Salzmanni, Sprichwörter und sprichwörtl. Redensarten bei Libanios, Tübingen 1910, quae, dum haec folia prelis subiciuntur, prodiit.

2) Das Meyersche Satzschlußgesetz. Diss. München 1898 p. 18.

Hinckio (p. 548) suspicionem movit auctorem christianum fuisse. legimus enim in ep. 3 *ἡξίωσα τὴν ἱεράν σου διάθεσιν. ἱερά* autem *διάθεσις* circa a. 400 titulus erat, quo ecclesiae christianae magistratus appellari solebant. cf. praeter ea, quae Hinckius loco allato dicit, Synesii epistolam ad Pylaemenem datam, ubi scriptum legimus (ep. 129 p. 716, 34 Herch.) *εἰ διὰ τὴν ἱεράν σου διάθεσιν φίλοι ἡμῶν οἱ ἄρξοντες ἡμῶν ἐπιδημοῖεν κτλ.* alius quoque locus originis christianae videtur esse. legitur enim in ep. 8: *Εἶθε μοι τὸ θεῖον παράσχοι τὴν σὴν ἱεράν θεάσασθαι μορφὴν, ἧς ἀπολαῦσαι πάλιν ἐλπίζω διηνεκῶς εὐχὰς ὑπὲρ τούτου ποιούμενος τῷ κρείττονι.* quibus locis perpensis mea quidem sententia efficitur auctorem fortasse christianum fuisse. sed testimonia allata ad certum iudicium ferendum non sufficiunt, cum vel apud Libanium non pauci loci inveniantur, quibus non deos, sed *θεὸν* (tom. IV p. 233, 10; 272, 20 F.) vel *τὸν κρείττονα* (IV p. 232, 2 et 7; 236, 23; 244, 4; 281, 13 F.) vel *τὸν τὴν οἰκουμένην συστησάμενον* (IV p. 294, 6) universum struxisse et gubernare dicit¹⁾.

Sed ut libellus a discipulo Libanii compositus sit, quomodo Proclo Platónico tribui potuit? ab hoc Proclo, qui ab a. 410—485 fuit, libellus conscriptus esse non potest, cum eiusmodi studia ab illo philosopho aliena sint neque is utpote christianis infestus *παρακλητικὴν* (ep. 3) ad *ἱεράν διάθεσιν* exemplis suis inserturus fuerit. tempus quoque male quadrare videtur, cum libellus etiam magistro Neoplatonici notus fuerit. at potuitne illi discipulo Libanii nomen Proclo fuisse, quod primus R. Foerster suspicatus est? ita facillime libellus utriusque viri nomine insigniri et, si sub Procli solius nomine afferebatur, facile fieri poterat, ut a magistello semidocto Proclo Platónico clarissimo tribueretur ita, ut Demetrii libellus clarissimo illi Phalereo suppositus est. quod nobis Libanii discipulus nomine Proclus aliis locis non occurrit, huic sententiae non repugnat, cum illis temporibus nomen Procli frequentissimum fuerit. inveniuntur enim

1) Cf. Libanius ed. Foerster IV 201 adn. 3.

exempli causa inter eos, ad quos Libanius epistulas scripsit, tres Procli¹⁾. hic Proclus, qui fortasse christianus fuit, paulo post mortem Libanii praecepta a magistro accepta et exemplis vel in ludo scriptis vel ab ipso fictis aucta in lucem edidisse videtur.

Sed haec de auctore. iam quomodo auctor praecepta ab ipso aliisque data secutus sit videamus.

c) De genere dicendi.

Quicumque Ἐπιστολιμαίους χαρακτηῆρας legerit, eos stilo sicco et simplici, quem Graeci ἀφελείας nomine significant, conscriptos esse non negabit. raro enim phrases longas atque hypotactice iunctas inveniet. in exemplis vero epistularum semper fere singulae elocutiones coniunctionibus δὲ vel γὰρ coniunctae, saepe in enuntiatis paratactice iunctis verborum tempora commutata sunt, id quod sophistae recentiores ἀφέλειαν colentes facere solebant.²⁾ exempli gratia nonnullos locos Libanianos affero.

α) De verborum temporibus commutatis.

In sententiis paratactice iunctis copulata sunt:

praesens et futurum:

p. 23, 11 τιμᾶν — προσερεῖν³⁾ (cf. Lib. II 36, 19; V 526, 16 F.).

aoristus et praesens:

p. 30, 14 αἰδέσθητι — παῦσαι — ποιοῦ (cf. Lib. I 311, 3; IV 266, 16 F.).

aoristus et imperfectum:

p. 26, 4 μετῆλθον — ἐνόμιζον (cf. Lib. I 132, 4; 374, 5; 462, 19; II 152, 8; IV 217, 17).

1) O. Seeck, Die Briefe des Libanius, in Gebhardt-Harnack, Texte u. Untersuchungen N. F. 15 (1906) s. v.

2) Cf. W. Schmid, Der Atticismus III 74 et IV 79. I. Pietzko, De Aristaeneti epistulis, diss. Vrat. 1907, p. 7sq.

3) De hoc infinitivorum apud Libanium usu egit Foerster, Lib. tom. III praef. p. XXIX.

aoristus et futurum vel versa vice:

p. 15, 6 *δορῆσαι* — *ἀφέξασθαι*. p. 31, 15 *ἄξειν* — *κολάσαι* (cf. Lib. V 330, 15; 526, 16).

aoristus et perfectum:

p. 22, 4 *ἔδρασας* — *δέδωκας*. p. 27, 8 *λυπήσας* — *ἡδίκηκότες*. p. 30, 9 *ὑποδύς* — *πεπονθώς* — *δυνηθείς*. p. 30, 17 *εἰσενεγκάμενος* — *κατειληφώς* (cf. Lib. I 268, 13; 520, 16; II 138, 21).

perfectum et aoristus:

p. 21, 5 *εἰρηκώς* — *κρίνας*. p. 29, 5 *γέγονε* — *περιέβαλε* (Lib. V 113, 5; 398, 13). ceterum de iunctura perfecti vel praesentis et imperfecti Libaniana vide R. Foerster, Lib. IV 217, 7 adn. Videmus igitur L et Libanium in commutatione temporum plane consentire.

β) De atticismo.

Praecipue autem scire iuvat auctorem ei dictioni qua epistulas conscribendas esse dicit, ut ad atticum quidem sermonem prope accedant, non tamen omnino a sermone vulgari abhorreant, ipsum studuisse. quae res ei cum sophistis recentioribus et Libanio communis est, qui, quamquam operam dabant, ut *ἄττικῶς* scriberent, tamen etiam locutiones vulgares scriptis suis receperunt. quam rem nunc accuratius exponamus.

Attici sermonis proprium erat *ττ* pro *σσ*.¹⁾ quod auctor semper adhibet. dicit enim semper *πράττω*, non *πράσσω* (p. 17, 2; 22, 13; 26, 10; 27, 12) et *κρεῖττον* (p. 22, 1; 29, 7).

ξύν apud atticissantes magis atticum habebatur quam *σύν*. cuius rei testis est Moeris, qui dicit: *ξυμφώνως Ἀττικοί, συμφώνως Ἕλληνες καὶ κοινῶς*. L quamquam multis locis *σύν* scribit, tamen uno loco in verbo composito *ξύν* praebet p. 29, 8 *ξυντυχεῖν*. idem de Libanii usu Foerster statuit. Libanius enim praepositionis forma *σύν* uti solet,

1) Cf. Schmid IV 572 s.

in verbis compositis ξύν usurpat, velut I 105, 7 ξυνεῖναι; I 162, 20 ξυνετός; II 564, 1 ξυμβέβηκε; II 210, 5 ξύμπασιν.

Voces quoque quaedam, quae atticae habebantur, in L leguntur. quarum e numero hae afferantur:

p. 13, 2 πολυσχιδής Lucian. Philostr. Philo. Lib. IV 338, 11 F.

p. 18, 16 μετριάζω Thuc. Plat. Dem. Aristot. Aristid.

p. 20, 4 σύμμετρος et 20, 9 συμμέτρως. ξύμμετρος et ξυμμέτρως Philostrato in deliciis fuit, e quo auctor hausit (cf. Schmid IV 201).

p. 21, 14 κατόπιν apud Philostratum octies (Schmid IV 189), Aelianum quinques (Schmid III 133), Arrianum (cf. Böhmmer, Act. sem. Erl. IV 14), apud Libanium velut V 265, 3 F.

p. 22, 11 περισπούδαστος Lucian. Aelian. Liban. IV 466, 1 F.

p. 23, 3 παροινία Philostr. Lucian. Xen. Aesch. saepe apud Libanium velut III 260, 2.

p. 23, 4 ἐπάξιος Philostr. sexies; Pind. Herod. Plat.

Sed haec attulisse satis sit. iam ad locutiones vulgares pergamus.

Nusquam auctor formas γίγνομαι et γινώσκω usurpat, semper γίνομαι (p. 14, 2) et γινώσκω¹⁾ (p. 16, 6, 12; 17, 15; 23, 6; 24, 11). Libanii usus fluctuat.

p. 23, 8 πλειῶν vulgarius erat quam πλέον.¹⁾

p. 31, 4 ἔσο legitur apud Aelian. Alciphr. Marc. Aurel. (Stich, praef. p. XVI). Nicol. Progymn. I 419, 28 Walz; Liban. V 378, 14 F., cf. Lobeck, Phryn. p. 342.

Infinitivus futuri in locum infinitivi aoristi succedit²⁾

p. 15, 6 ἀφέξεσθαι, p. 23, 11 προσερεῖν, p. 31, 15 ἄξειν.

ἐάν autem cum indicativo coniunctum apud atticissantes non occurrit.³⁾ qua de causa Westermannum secutus p. 22, 10 πεφύκασι in πεφύκωσι corrigendum esse putavi.⁴⁾

1) Cf. A. Thumb, Die gr. Sprache im Zeitalter des Hellenismus p. 207.

2) Cf. Schmid IV 38 et 619; Foerster, Liban. tom. III p. XXIX.

3) Cf. Schmid IV 621.

4) Alio loco (p. 30, 5 καὶ ἀρνῆ) coniunctivus est, cf. p. 21, 10.

ὥς ἄν in enuntiatis finalibus apud scriptores optimos raro legitur¹⁾, ab Aeliano adamatur. in L scriptum est (p. 21, 10) ὥς ἄν μὴ κολακεία . . . προσῆ. Libanius ὥς ἄν cum optativo coniunxit t. II 453, 13 ὥς δ' ἄν μὴ ἐνοχλοίην, ἀπεχώρουν.

p. 32, 2 superlativus μελάντατος saepe in sophistarum scriptis occurrit, velut apud Aelianum²⁾, Alciphronem, Aristaen-
tum.³⁾

p. 14, 7 καθώς vulgare erat, ut testatur Moeris p. 196 καθότι Ἀττικῶς, καθώς Ἑλληνικῶς.

γ) De proverbiis et sententiis.

Rhetores orationis ornandae causa proverbiis et sententiis saepenumero usi sunt.⁴⁾ quam rem et praecepit auctor et ipse locos communes adamavit. sunt autem haec:

p. 22, 1 κρεῖττον . . . ἐστὶ τοὺς ἀγαθοὺς ζηλοῦντα καλῶς ἀκούειν ἢ φαύλους ἐπόμενον ἐπονείδιστον εἶναι τοῖς πᾶσιν.

p. 23, 10 ὅσιον ὑπάρχει τοὺς γνησίους φίλους παρόντας μὲν τιμᾶν, ἀπόντας δὲ καὶ προσερεῖν.⁵⁾

p. 24, 8 οὐ θέμις διαβολῇ πιστεύειν ἢ φήμῃ ματαία μηδὲν ὑγιᾶς ἐχούσῃ.

p. 24, 9 διαβολὴ μήτηρ ἐστὶ πολέμου.⁶⁾

p. 26, 1 φίλων ἐστὶν εὐχέσθαι τοὺς φίλους ἀεὶ κακῶν ἐλευ-
θέρους ὄραν.

p. 26, 10 συγκαίρειν χρὴ τοῖς φίλοις εὖ πράττουσιν ὥς καὶ συναλγεῖν λυπουμένοις.⁷⁾

p. 29, 4 Σκνθῶν ἐρημία.⁸⁾

1) Cf. Schmid III 86.

2) Cf. Schmid III 62.

3) Cf. Pietzko, l. l. p. 25.

4) Cf. Schmid I 411; II 263; III 302; IV 491.

5) Cf. Wendland, Anaximenes p. 84.

6) Cf. Leutsch-Schneidwin, Par. Gr. II p. 365.

7) Cf. supra p. XXIV. Lib. t. I 254, 9 F.

8) Cf. Leutsch-Schneidwin, l. l. II p. 208. scire iuvat Li-
banium quoque, si is revera fuit auctor 'Demosthenis Apologiae',
id proverbium usurpasse t. IV p. 284, 18 R. = VI 380, 2 F.

p. 29, 8 Πλούτωνι ξυντυχεῖν.

p. 29, 15 πρέπει τοὺς θείους ἄνδρας μὴ μόνον ἐπαινεῖν, ἀλλὰ καὶ τιμᾶν.

p. 31, 10 αἱ ἄρισταὶ τῶν φίλων συμβουλαὶ καλλίστας ἔχουσι τὰς εὐεργεσίας.

p. 33, 2 αἱ ἐκ φίλων εἰς φίλους γινόμεναι λῦπαι δυσθεράπευτοι λίαν τυγχάνουσι καὶ μείζους τῶν ἐχθρῶν ἔχουσι τὰς ἐπηρείας.¹⁾

p. 34, 5 διαβολὴ φιλοσόφοις οὐχ ἀρμόζει.

δ) De allitteratione.

Aliud ornamentum orationis est allitteratio, cuius inveniuntur exempla haec:

p. 23, 3 δρᾶμα δέδειχεν. p. 15, 17 καὶ — κατασκαφή.

p. 20, 15 καθάπερ κακίαν—καλόν. p. 22, 13 κάμοι κεχαρισμένα.

p. 19, 10 μὲν μετρίως μὴ μέντοι. p. 21, 2 μύθων μνήμη. p. 25, 5

μεταδοῦναί μοι μή. p. 30, 15 μὴ μελέτην. creberrima autem

in π consona est: p. 13, 6 πόσας προσηγορίας. p. 14, 3

ὥσπερ παρῶν τις πρὸς παρόντα. p. 14, 4 παμπόλλους προσ-

ηγορίας. p. 15, 16 πληγαί, πολλάκις—πόλεως. p. 20, 15 πάν-

τως τὸ πλῆθος. p. 22, 10 πονηραὶ πεφύκωσι. p. 22, 13 πρέ-

ποντα πράττων. p. 23, 2 ποιεῖν παρεσκεύασαι. p. 24, 3 πάση—

παντὶ — παραγένωμαι — παραγένωμαι πολλῶν πειραθήση—

ποτε—πεῖραν. p. 26, 6 ποτὲ ποιήσομαι. p. 30, 15 παῦσαι τοῦ

πλημμελεῖν. p. 31, 14 παρακλήσεις προσάγειν περὶ αὐτοῦ

πειρῶ. p. 31, 15 πάντη τε καὶ πάντως. p. 20, 3 συντομία

σαφήνειαν. p. 30, 6 συνίστοράς σοι. p. 31, 9 συμφέρον σκο-

πήσας. p. 32, 22 τῷδε τῷ τόπῳ. p. 32, 24 τῷδε τᾶδε. p. 24, 7

φαῦλον φρόνει.

ε) De aliis ornamentis oratoriis.

Figurae autem etymologicae inveniuntur exempla:

p. 18, 5 προᾶξιν—πραχθεῖσαν ἢ λόγον λεχθέντα.

p. 33, 2 λυποῦμαι λύπην.

1) Cf. supra p. XXIV. Lib. t. I 254, 9 F.

Denique afferatur unum exemplum geminationis.

p. 33, 5 ἐρῶ, ἐρῶ;

unum exemplum anaphorae:

p. 29, 5 ὦ πόσων ἡμῶν κακῶν αἴτιος γέγονεν —
ὦ πόσαις συμφοραῖς — περιέβαλε;

duo litotetis:

p. 15, 8 οὐκ εὔ. p. 22, 4 οὐ καλῶς;

nonnulla polysyndeti:

p. 13, 5 τί τέ ἐστίν ἐπιστολή καὶ τί λέγειν — θέμις καὶ εἰς πόσας προσηγορίας διαιρεῖται. p. 19, 11 ἢ — ὑψηγορία καὶ τὸ ταύτης ὑπέρογκον καὶ τὸ ὑπεραπτικίζειν. p. 19, 18 σαφηνεῖα τε μάλιστα καὶ συντομία μεμετρημένη καὶ ἀρχαῖσμων λέξεων. p. 21, 2 ἱστοριῶν τε καὶ μύθων μνήμη καὶ παλαιῶν συγγραμμάτων καὶ παροιμιῶν εὐστόχων καὶ φιλοσόφων δογμάτων χρῆσις. p. 22, 7 καὶ πάλαι μὲν ἠξίωσα — καὶ νῦν δὲ ἀξιῶ — καὶ εὔ οἶδ'. p. 23, 3 καὶ φίλων ἀνάξιον καὶ τῆς σῆς παροινίας ἐπάξιον.

Alia autem artificia oratoria, ut stili epistolaris non propria, apud auctorem nostrum non inveniuntur, neque hiatum diligenter vitavit neque semper singulas locutiones ita clausit, ut ante ultimam arsin duae vel plures theses positae essent.

ξ) De hiatu.

Invenies enim hiatum non solum post particulas exstantem, velut καὶ p. 13, 6; 16, 13; 17, 1; 18, 11, 14; 19, 10; 20, 1, 15; 27, 6, 8; 31, 3; 32, 23, post εἰ p. 16, 15, ὅτι p. 22, 14, post articuli formas ἢ p. 19, 7, τὸ p. 17, 4; 19, 12; 20, 7; 22, 15, τῶ p. 17, 5; 31, 6, τὰ p. 15, 14, 15; post μὴ p. 13, 3, περὶ p. 21, 5; 24, 8; 31, 14, τι p. 15, 6, τινι p. 16, 13; 17, 2; 18, 7, sed etiam complures hiatus graviores, qui sunt: post α: p. 15, 17 ἦτα αἰχμαλωσία, p. 17, 6 γρα-

φέντα ἡμῖν, post ε: p. 24, 6 βέλτιστε ἀνδρῶν, p. 26, 5 κρά-
τιστε ἀνδρῶν, post η: p. 14, 3 αὐτῇ ὥσπερ, p. 14, 4 ἐπειδὴ
ἐπιστολή, p. 22, 15 μεταβάλλη ἀπ', post ω: p. 14, 5 ἐνικῶ
ὀνόματι, p. 29, 12 τούτῳ οὖν, post αι: p. 14, 5 προσαγο-
ρεύεται ἐνικῶ, p. 15, 6 ὀρμηῆσαι ἢ, p. 19, 7 πᾶσαι εἰς, p. 21,
15 προταγεῖσαι ἐπιστολαὶ αὗται, post οι: p. 17, 4 ἐγκαλοῦ-
μενοι ἀντεγκαλοῦμεν, post εὔ: p. 22, 8 εὔ οἶδ'.

η) De clausulis.

Neque ea lege, quam nos Meyerianam vocare solemus, qua ante ultimam enuntiationis arsin complures theses ponendas esse statuitur¹⁾, auctorem semper usum esse videmus. excedunt enim illam legem hae clausulae:

p. 13, 4 πολλῇ καὶ τέχνῃ. p. 14, 7 καθὼς ἔφην. p. 15,
14 πολέμου κέρδη. p. 16, 3 παραθετικὴ καλεῖται. p. 16, 11
μαρτυρικὴ καλεῖται. p. 18, 7 ἀσέμνως πράττει. p. 18, 13
αὐτοῦ δεόμενοι. p. 19, 2 αὐτῇ χαράττοντες. p. 19, 11 κομ-
ψολογία χρῆσθαι. p. 20, 1 ἀρχαῖσμων λέξεων. p. 21, 11 δεῖνι
χαίρειν. p. 21, 14 αὐτῶν βαίνειν. p. 21, 15 ἐπιστολαὶ αὗται.
p. 24, 9 ὑγιᾶς ἐχούση. p. 26, 4 μετῆλθον ἔργῳ. p. 29, 8 θεοῖς
ἐχθρῶ. p. 30, 3 κακίας γένοιτο. p. 30, 6 κεκοινωνηκότας
πράξεως. p. 30, 9 ὦν τὸν τρόπον. p. 30, 13 πειραθῆς δεινῶν.
p. 31, 14 αὐτοῦ πειρῶ. p. 32, 24 τῶδε τάδε. p. 33, 2 λυποῦ-
μαι λύπην. p. 34, 3 κοσμεῖς ὄνομα.

Sunt igitur inter 157 clausulas, quas praetermissis exem-
plis spuris numeravi, viginti quattuor, quae illi legi non
respondent, vel 15 0/0.

1) Cf. W. Meyer, Der akzentuierte Satzschluß in der griech.
Prosa vom 4. bis 16. Jahrh. (1891) in Ges. Abh. tom. II p. 202sqq.
et C. Litzica, Das Meyersche Satzschlußgesetz in der byz. Prosa,
Diss. München 1898.

Quibus libris Τύποι ἐπιστολικοί servati sint.

a) De codicibus manuscriptis.

Codices manuscripti mihi innotuerunt hi:

- M = Marcianus gr. 418¹⁾ (fol. 1^r—4^r) membr. formae quartae, saec. XI; folium secundum vacuum relictum est, cetera folia lacerata, tineis corrosa, maculis foedata sunt. cuius codicis folia Carolus Frati bibliothecae Marcianae praefectus precibus meis motus arte photographa reddenda curavit.²⁾
- L = Laurentianus plut. LX 16³⁾ (fol. 39^v—44^v) chart. formae quartae min. saec. XV. cuius codicis lectiones diversas ex editionis Hercherianae⁴⁾ apparatu novi.
- A = Ambrosianus B. 4 sup. (fol. 10^v—19^r) (81 apud Martini-Bassi)⁵⁾ membr. formae 12,8 × 8,5 cm. saeculi X, olim Pinelli. cuius codicis tabulae phototypicae mihi factae sunt.⁶⁾
- B = Berolinensis gr. 308 (qu. 9) (fol. 54^r—65^v). haec codicis pars est chart. formae octavae min. s. XVI. codex mihi Vratislaviam missus est.⁷⁾
- P = Parisinus gr. 1389 (fol. 354^r—357^v)⁸⁾ chart. formae 23 × 16,2 cm, saec. XVI, quem Vratislaviae, quo mihi missus erat, ipse contuli.⁹⁾
- Vaticanus Reginensis gr. 139 (fol. 1^r—18^v) chart.

1) Cf. Zanetti-Bongiovanni, Graeca D. Marci Bibliotheca, Venetiis 1740, p. 203.

2) Postea mihi innotuit collatio, quam Sacorraphus in Mne-mosynae tom. 22 p. 398sq. publici iuris fecit.

3) Cf. Bandini, Cat. codd. gr. bibl. Laurent. II 606 et Fabricius, Bibl. gr. ed. Harles I 681.

4) Hercher, Epistolographi Graeci p. XI.

5) Martini-Bassi, Cat. codd. gr. bibl. Ambros., Mediolani 1906, tom. I p. 92.

6) Cf. infra p. II.

7) Cf. infra p. XLIV.

8) Cf. Omont, Inventaire sommaire des mss. grecs de la Bibl. Nationale tom. II p. 35.

9) Cf. infra p. XLV.

saec. XVI¹), de quo Hugo Rabe me summa cum humanitate docuit.

Ab = Ambrosianus H. 22 sup. (426 Martini-Bassi)² (fol. 221^r—223^v). chart. formae 21,2 × 14,8 cm, saec. XV, olim Pinelli. hunc codicem R. Foersteri et Conr. Ziegleri precibus morem gerentes meum in usum contulerunt viri docti Demarchi et L. Castiglioni Mediolanenses.

Praeter hos initium libelli praebent codices

Br = Bremensis plut. I b. 23 (fol. 235^v) bomb. saec. XIV³ et Laurentianus conv. suppr. 20 (fol. 76^v) chart. saec. XIV⁴), qui desinunt in verba (p. 3, 5) ὡς πρὸς φίλον γραφόμενος.

Hi codices in duas distinguuntur familias, quarum prior codicibus M et L continetur. L autem ex ipso M transcriptus esse mihi videtur, cum non solum eandem recensioem praebat, sed etiam eodem loco lacunam unius folii (p. 5, 3 — 7, 13) reliquerit et singula verba quae in M interciderunt omiserit. cuius rei singula exempla afferantur. inest enim

in M

in L

p. 2, 21 γ	om
p. 2, 22 ὑπ . . . εστέρους	ὑπ στέρους
p. 3, 1 οὐ γὰρ διὰ (vix cerni possunt)	om. spatio relicto
p. 3, 3 compendii π ^ε vestigia	om. spat. rel.
p. 3, 20 κεκριμένον	κεκρ om. spat. rel.
p. 4, 13 . . ράξεν	om. rel. spatio
p. 8, 13 ἐτέρους sed acc. et ι eras.	ἕτερος.

Aliis locis librarius codicis L textum imprimisque compendia parum recte intellexit vel errore aliquid omisit — si is qui in usum Hercheri contulit ubique recte legit —, qui loci sunt:

1) Cf. Stevenson, Codd. ms. gr. Reginae Svec. et Pii II p. 96.
 2) Martini-Bassi, l. l. tom. I p. 508.
 3) Cf. infra p. LIII. 4) Cf. infra p. LIV.

M

L

p. 1,15 μὴν* ¹⁾	γὰρ μόνον?
p. 2, 3 οὕτως*	οὕ
p. 2, 4 ὡς ὁ τὴν	ὡς οὕσαν
p. 2, 5 παρακίνδυνον*	περικίνδυνον
p. 2, 6 ὁ	om.
p. 2,23 στρατηγ...	om.
p. 2,24 καὶ προσγράφουσι*	γράφουσι
p. 3,19 σοὶ	om.
p. 4, 7 εἶ πέπονθας	ἐπέπονθας
p. 4,15 δ' ἀκμήν	δ' ἂν μὴν
p. 4,15 φ' ἡμῶν*	ἐφ' ἡμῖν
p. 7,15 αὐτόν*	αὐτὸς
p. 7,20 τι	τοι
p. 8, 2 ἐτι	ἐστὶ
p. 8,12 σεσήμεαγκεν — ὑπείληφεν	σεσήμεαγκας — ὑπείληφας
p. 8,18 ἀλλ'	om.
p. 8,19 ὅταν*	ὅτε
p. 8,20 ὅτιδῆποτε*	ὅπωςδηποτοῦν?
p. 9, 2 ἀντιπέπτωκεν	ἀντιπεριπέπτωκεν?
p. 9, 6 ἐάν*	εἰ
p. 9,13 τὸν*	τῶν
p. 9,13 κατηγοροῦντα*	κατηγοροῦντων
p.10, 2 καταπλεύσας ἡμην*	καταπλεύσαι ἡμῖν
p.10,11 προσδέχομε	προσδέχομαι
p.10,17 γράφωμεν*	γράφομεν
p.10,19 περὶ*	παρ'
p.11, 9 πάλαι*	πάλιν
p. 9,12 καὶ post δὲ add. L et post lacunam supra (p. XXXVII) dictam τύπος οὗτος καὶ ἐστὶ δωδέκατος, quae res nihil nisi lacunam a librario animadversam et expletam esse ostendit.	

Quibus locis L ex M transcriptum esse satis demonstravisse mihi videor. quod cum ita sit, codici L in apparatu critico locum non esse dandum apparet.

1) Asterisco apposito id compendiose scriptum esse significatur.

Iam ad alteram familiam pergamus, quam repraesentant codices ABPAb a me adhibiti et Vat. Reg. 139, quem cum ABP congruere e Rabii schedis intellexi. cuius familiae archetypum β littera significo. ex hoc archetypo codices ita fluxerunt, ut unusquisque proprias quasdam lectiones praebeat neque unus ex altero transcriptus esse videatur. optimus autem eorum est A. quamquam persaepe falsa habet (velut p. 1, 5; 4, 13; 5, 13; 6, 18, 22; 9, 1; 11, 14 al.), tamen vera nonnullis locis aut cum M (p. 1, 8 *διὰ τινων*, p. 5, 20 *οὐκ ἄκων*, p. 7, 15 *διαπεπραχθαι*, p. 9, 17 *κατηγορούμενα*) aut solus (p. 5, 26 *ἔμπροσθεν*, p. 6, 14 *εἴση*) servavit. Ab autem non praetermittendus est, cum compluribus locis rectiora quam ABP servaverit (p. 7, 4) et exempla spuria codd. ABP Vat. Reg. 139 omiserit. codices autem BP e communi fonte ab A diverso fluxerunt, cum minutiis tantum inter se differant, velut p. 2, 15; 5, 11, 13; 6, 16, 27; 7, 1; 11, 2; 12, 21, nec raro alia praebeant atque ille, velut p. 1, 8; 2, 19; 4, 12, 13, 15; 5, 20, 26; 7, 4.

Quibus allatis quae ratio intercedat inter M et β (ABPAb) accuratius exponendum est. exhibet enim M inscriptionem hanc: *Δημητρίου Φαληρέως τύποι ἐπιστολικοί*, β autem: *Ἐπιστολικοὶ τύποι*. p. 1, 15 — 2, 9 nonnulla de libelli utilitate addit M, quae in β desiderantur. p. 5, 3 — 7, 13 folio vacuo relicto omissa sunt in M. epistulae 16, 17, 18, 21 in β miro quodam modo depravatae sunt, ut, si lectiones discrepantes ostendere vellem, integrae epistulae mihi exscribendae essent. exempli igitur gratia afferatur ep. 21, quae legitur in

M

Ἐφ' οἷς εὐεργέτησάς με
διὰ λόγων σπουδάσω ἔργω
δειῖσαι τὴν ἐμαυτοῦ προ-
αίρεσιν, ἣν ἔχω πρὸς σέ.
ἔλαττον γὰρ τοῦ καθήκον-
τος ὑπέλληφα τὸ δι' ἐμοῦ
σοι γινόμενον, οὐδὲ γὰρ

β

Ἐφ' οἷς εὐεργέτησάς με διὰ λό-
γων νῦν εὐχαριστῶ. ἀλλὰ δεῖξαι
καὶ ἔργω ἣν ἔχω διάθεσιν πρὸς
σὲ πάννυ γλιχόμενος (om. A) ὑπεί-
ληφα τὸ δι' ἐμοῦ σοι γινόμενον
ἔλαττον τοῦ καθήκοντος. οὐδὲ
γὰρ τὸν βίον ὑπὲρ σοῦ προθέ-

τὸν βίον ὑπὲρ σοῦ προέμενος μένος ἀξίαν ἀποδοίην χάριν,
 ἀξίαν ἀποδώσειν χάριν ὧν εὖ ὧν εὖ (om. B P Ab) πέπον-
 πέπονθα . . . θα . . .

in ABP duo exempla ἀπευχαριστικοῦ addita sunt, quae cum multo elatiore stilo atque cetera conscripta sint, spuria iudicanda sunt. praeterea quo modo ABPAb inter se cognati, a M diversi sint, illustratur locis quibus M vera, β deteriora praebet:

	M	β
p. 1, 2	ὦ	om.
p. 1, 3	ἀναβάλλεσθαι	ἀναλαμβάνεσθαι
p. 1, 6	ταττομένοις	τεταγμένοις
p. 1, 12	εἰδήσεις	εἰδείης
p. 1, 14	κἀμὲ	καὶ πέρα
p. 2, 10	om.	ἐπὶ τοῦ παρόντος
p. 2, 21	πάντως	πάντες
p. 2, 22	ὑπάρχοις	ὑπεροχαῖς
p. 2, 23	ἄλλους ἴσους	ἄλλήλους ἴσως
p. 2, 24	τούτους ἀγνοοῦντες	τοὺς ἀγνοοῦντας
p. 3, 1	μίαν	μῆ
p. 3, 3	ὑπομενεῖν καὶ ποιήσειν περὶ ὧν γράφουσι	om.
p. 3, 18	λέγοντες ἢ ἐγνωσμένους· οὕτως	ἄγοντες εἰς γνῶσιν. οἷον οὕτως
p. 4, 8	ὑπείληφα τὸ μῆ	ὑπείληφας τὸ
p. 4, 15	ἀκμὴν	δὲ μὴν A γὲ μὴν B P Ab
p. 4, 18	καίπερ οὐδὲ νῦν ἐλεύθερος γέγονας σχῆμα κεκτημένος δουλοπρεπές.	καὶ εἶπερ δὲ νῦν ἐλεύ- θερος γέγονας ὅμως (ὡς A) ἔχεις σχῆμα δουλοπρεπές.
p. 4, 19	om.	λέγε δὲ κακῶς, ἐπεὶ κα- λῶς λέγειν (λέγειν κα- λῶς Ab) οὐκ ἔμαθες.

Hi loci sufficiunt ad probandum M alteri familiae anteponendum esse; paucis deteriora praebet, velut p. 2, 11 ἐνέγκη, p. 4, 10 σοὶ et ἔχοντι, p. 4, 12 αὐτὸν ὑφ' αὐτοῦ, vel verba

omisit, velut p. 2, 12 ἄλλος—2, 14 τύπος, quae sensus postulat, p. 3, 8 ἡμῖν, p. 4, 5 ὁ—προσδεχόμενος.

Sed haec hactenus. reliquum est, ut de editionibus disseratur.

b) De libelli editionibus.

Princeps editio est Aldina (= a). exstat enim libellus in Aldi „Graecarum epistolarum collectione“, Venetiis 1499 tom. II p. IV. haec editio e codice quodam familiae BP fluxit. adhibui exemplar Biblioth. Reg. Vratislaviensis.

Cum erotematis grammaticis Chrysolorae excussus esse dicitur libellus Ferrariae 1509.¹⁾ sed frustra omnia tentavi, ut hanc editionem nanciscerer.

Postea prodiit Parisiis 1558 apud Guil. Morelium sub titulo: *Λιβανίου σοφιστοῦ Ἐπιστολιμαῖοι Χαρακτῆρες. Ἀνωόμεον τινὸς πρὸς Ἡρακλείδην Ἐπιστολικοὶ Τύποι*, quae editio cum Aldina omnino congruit. (mihi praesto fuit exemplar Bibl. Regiae Berolinensis.)

s = Epistolarum conscribendarum methodus, una cum exemplis incerti auctoris, Graece et Latine, in utriusque linguae studiosorum gratiam nunc multo quam antea et emendatior et locupletior edita Ioanne Sambuco Pannone Tirnaviensi interprete. Item *Ἐπιστολικοὶ Τύποι . . .* Libellus plane aureus nunc primum ab eodem Ioan. Sambuco de Graeco Latinus factus. Basileae, per Ioannem Oporimum. in calce libelli scriptum est: *Anno salutis humanae MDLII Mense Martio*. in pag. autem 47: *a. 1548*. Haec editio cum Aldina congruit, nisi quod uno loco Sambucus lectionem haud ineptam praebet p. 5, 26 *καθ' ἑγὼ ὑπέλαβον*.

Editio²⁾ Cuiaciana, *Ἐπιστολαὶ Ἑλληνικαὶ Ἀμοιβαῖαι*, Aureliae Allobrogum 1606 (p. 164—169) a Pyrrho Caldoraeo emissa est, qui dicit in praefatione ad Barth. Camelinum data: *Volumen Epistularum Graecarum est, quas*

1) Cf. Fabricius, Bibliotheca Graeca ed. Harles I p. 681 sqq.

2) Cf. Fabricius-Harles, Bibl. Gr. I 676.

XLII Quibus libris Ἐπιστολιμαῖοι χαρακτῆρες servati sint.

vir clarissimae memoriae Iacobus Cuiacius I. C. Romana civitate donavit, ut persancte affirmarunt mihi ii, qui manum scripturamque eius probe norunt. editio ipsa ab Aldina nullo loco discrepat. versionem latinam Cuiacius fecit.

h = R. Hercher, *Epistolographi Graeci*. Parisiis 1873. p. 1—6. quam editionem Aldinae fundamentis superstructam esse auctor ipse dicit. hic illic codicem L adhibuit, cuius lectiones diversas in apparatu critico publici iuris fecit.

Non editionem, sed collationem codicis M publici iuris fecit Sacorrachus in *Mnemos. N. S.* XXII 398 sq., quae non ab omni parte accurata dici potest.

Ad textum corrigendum nonnulla contulit Zielinski *Philol.* LX 8sq.

Quibus libris Ἐπιστολιμαῖοι χαρακτῆρες servati sint.

a) De codicibus manuscriptis.

Quamquam libellus Ἐπιστολιμαῖοι χαρακτῆρες in scriptis codicibus permultis maximeque inter se discrepantibus nobis servatus est, tamen facile omnes in duas familias dividi possunt, quae ordine, quo materiae partes sunt dispositae, inter se differunt. nam prioris recensio is est capitum ordo, ut primum (I) agatur de „epistulae“ definitione variisque generibus (p. 13, 2—14, 9), deinde (II) haec genera enumerentur (p. 14, 10—15, 4), et (III) singula genera definiantur (p. 15, 5—19, 6), tum (IV) de arte conscribendi epistulas nonnulla proferantur (p. 19, 7—21, 15), postremo (V) exempla omnium generum afferantur (p. 21, 6—34, 5). qui alteram recensioem confecit, tertiam partem cum quinta ita coniunxit, ut singulas definitiones exempla subsequantur. atque, ut hoc loco alia omittam, codices prioris recensioem formam inscriptionis praebent: Ἐπιστολιμαῖοι χαρακτῆρες fereque omnes Libanii nomine insignes sunt, alterius autem

recensionis codices, in quibus libellus Proclo tribuitur, hunc titulum exhibent: *Πρόκλου τοῦ Πλατωνικοῦ περὶ ἐπιστολιμαίου χαρακτῆρος*.

α) Prioris recensionis

codices mihi innotuerunt hi:

V = Vaticanus gr. 915 (fol. 222^r, 222^v, 221^r) bomb. formae octavae mai. saeculo XIV ineunte scriptus, quem H. Hinckius in annal. philol. et paed. vol. 97, p. 336—339 accuratius descripsit. initium atque finis versuum multorum deleta sunt aliisque locis litterae evanuerunt. initiales autem titulorum et epistularum plerumque omissae sunt. cuius codicis lectiones ex Hinckii editione¹⁾ excerpsi.

U = Vaticanus gr. 1391 (fol. 6^r—10^r) olim Fulvii Ursini membr. formae quartae min. saec. XII ab Hinckio, quem secutus sum, diligentissime excussus.

N = Neapolitanus bibliothecae nationalis III. B. 32 (fol. 235^r—246^r) chart. formae 16, 5 X 11, 5 cm. saec. XV²⁾ in fine mutilus. de quo vir doctissimus Hugo Rabe comiter me docuit.

Lr = Laurentianus LVII, 34 (fol. 1^r—6^r) chart. in 4⁰ min., saec. partim XV partim XVI.³⁾ cum ad rem criticam minus valeat, Hinckii testimonio confisus⁴⁾ lectiones diversas inde a p. 21, 16—26, 7 ex eius editione attulisse satis habui.

O = Vaticanus Ottobonianus gr. 339 (fol. 220—231) miscellaneus, cuius pars, quae *ἐπιστολιμαίους χαρακτῆρας* continet, chart. saec. XV est. codex valde mendosus nonnullis locis librarii manu correctus est. lectionum discrepantiam ex Hinckii apparatu exscripsi.

1) Annal. phil. et paed. vol. 99, p. 537 sqq.

2) Cf. S. Cyrillus, Codd. gr. mss. Reg. Bibl. Borbonicae p. 335.

3) Cf. Bandinius, Cat. codd. gr. bibl. Laurentianae, tom. II, p. 387.

4) Cf. Hinck, l. l. p. 544.

Pc = Parisinus gr. 2881 (fol. 150^r—153^v) chart. saec. XVI formae octavae¹⁾ diligenter exaratus. cuius codicis imagines phototypicas contuli, quas illustrissimus princeps Hugo de Radolin summa erga me benevolentia mihi dono misit.

Am = Ambrosianus Q 5 sup. (661 Martini—Bassi²⁾) (fol. 65^r—77^v) chart. formae oct. saec. XV, olim Pinelli. cuius codicis, qui cod. Pc gemellus est³⁾, descriptione ab ipso confecta ut uterer, R. Foerster liberalissime mihi concessit. de uno loco me dubitantem comiter certiores fecit A. Ratti, bibliothecae Ambrosianae praefectus.

La = Laurentianus LX, 14 (fol. 65^r—72^r) chart. formae quartae min. saec. XV (olim Angeli Politiani). p. 21, 6—26, 7 lectiones diversas ex Hinckiana editione adnotavi.

Vt = Vaticanus gr. 82 (fol. 190^r—192^v) bomb. in 8^o mai. saec. XIV, a R. Foerster in Libanii editione descriptus⁴⁾.

W = Wolfenbütteleanus Augusteus 3132 (f. 98^s—101^r) chart. saec. XV, formae 21, 5 × 14 cm⁵⁾, quem qui bibliothecae Wolfenbütellanae praesunt, precibus meis morem gerentes Vratislaviam miserunt.

Pal = Vaticanus Palatinus gr. 358 (fol. 224^v—228^r) chart. formae oct. saec. XV exeuntis⁶⁾, de quo humanissime me docuit H. Rabe.

B = Berolinensis gr. 308 (qu. 9) (f. 67^r—73^v) misc. chart. formae 20,3 × 15,4 cm (olim Ravii). ea pars, quae *ἔπιστ. χαρ.* continet, saec. XV videtur esse. de quo codice a me

1) Cf. H. Omont, Inventaire sommaire des mss. grecs de la Bibliothèque Nationale à Paris, III, 54.

2) Cf. Martini-Bassi, Cat. codd. gr. bibl. Ambros.

3) Cf. Studemund-Schoell, Anecdota varia I, 152 sqq. et Hoerschelmann, Gött. gel. Anz. a. 1887, No. 15, p. 608 sqq.

4) Libanii opera ed. R. Foerster, Lipsiae 1903 vol. I, p. 48. cf. quoque Hinck p. 545, adnot 17.

5) Cf. v. Heinemann, Die Hss. der Herzogl. Bibl. zu Wolfenbüttele. 2. Abt. Die Augusteischen Hss. IV, p. 235.

6) Cf. Stevenson, Codd. mss. Palatini gr. bibl. Vat. Romae 1885, p. 208.

Vratislaviae collato¹⁾ conferas ea, quae scripsit Carolus Boysen in Philologi vol. 42, p. 289 sqq.

P = Parisinus gr. 1389 (f. 351^r—353^v)²⁾ chart. formae 23×16,2 cm saec. XVI, qui liberalitate eorum, penes quos est cura bibliothecae nationalis Parisinae, mihi Vratislaviam missus est.

Pa = Parisinus gr. 2489 (f. 42^r—46^v) chart. formae oct. saec. XVI, qui desinit verbis p. 29, 17 μὴ νόμιζε τῶν συμβάν ita, ut unum folium interiisse videatur. tabulas phototypicas humanissime mihi donavit Princeps de Radolin.

Pb = Parisinus gr. 3054 (f. 1^r—3^v) chart. formae oct. saec. XV desinit verbis (p. 21, 14) κατόπιν αὐτῶν βαίνειν. quibus additum est ἔρρωσο καὶ κέχαρσο καὶ μέμνησό μου. ea, quae sequuntur (fol. 4^r—6^v), huc pertinere dicens erravit H. Omont³⁾. contuli imagines phototypicas, quas liberalitati Principis de Radolin debeo.

Va = Vaticanus gr. 753 (f. 320^r—321^r) membr. in fol. min. saec. XII fragmentum tantum continens exempla 1—11, 19, 22, quibus subiuncta sunt tria spuria, quorum I inc. Τοῖς μὲν ἐρέταις . . . des. καλλίστων τὸ κάλλιστον, II inc. Τὰ μὲν ἡμέτερα . . . des. ἔργον γέγονε πολεμίων, III Ὑπηνεωμένους ἐλάτας . . . des. πρὸς ὃν ταῦτα φημί⁴⁾.

Praeterea ἐπιστ. χαρ. praebet codex

Constantinopolitanus monasterii Sancti Sepulcri 74 (fol. 1^r—9^r) formae 22,7×17 cm scriptus anno 1720 a Parthenio Macario⁵⁾.

Et in codice

Escorialensi Σ III 16 saec. XIV antea inerat tractatus Ἐπιστολιμαῖος χαρακτήρ inscriptus⁶⁾, qui hodie iam non exstat.

1) Cf. supra p. XXXVI. 2) Cf. Omont., l. l. II, 35.

3) l. l. III, 98.

4) Cf. Hinck, p. 538 sq.

5) Cf. Παπαδόπουλος Κεραμεύς, Ἱεροσολυμιτικὴ Βιβλιοθήκη IV, 87.

6) Cf. E. Miller, Cat. des mss. grecs de la bibl. de l'Escorial, p. 102.

Iam quae ratio intercedat inter hos prioris recensionis codices, accuratius exponam. ac primum quidem U et N ex eodem fonte, fortasse etiam N ex ipso U fluxisse statuendum est, cum multis locis textus utriusque codicis eodem modo depravatus sit (p. 15, 5 *τινα* pro *τινι*; 17, 1 *συγχαριστική* pro *συγχαρητική*; 19, 5 *ἐκφαίνομεν* pro *ἐκ διαφόρων*; 26, 7 *εἶπερ* pro *ἥπερ*; 29, 14 *ἀγχινοοῦντα* pro *ἀγχίνου ὄντα*; 31, 17 *ἐπιστολή ἐπισκοπτική* U *ἐπισκοπτική* N pro *σκωπτική*), alia omissa (15, 1 *διδασκαλική ἐλεγκτική*; 25, 7 praebent *τυχεῖν. ὀνειδιστική. σφόδρα.* omissum igitur est exemplum 13; itemque epp. 21 et 36 una cum titulis desunt), alia addita sint (13, 3 *τό*; 21, 16 et 22, 4 *ἐπιστολή*; 34, 1 *ἐπιστολή μικτή. μικτή λέγεται διὰ τὸ ἐκ διαφορῶν χαρακτηῆρων συνεστάναι* U. *ἐπιστολή μικτή λέγεται διὰ τὸ ἐκ διαφορῶν* quibus in verbis desinit N). qua re commotus codicis N diversitates in apparatus criticum non recepi.

Alteram autem familiam efficiunt codices Pc O Am velut fratres trigemini artissimo vinculo inter se coniuncti, quibus quartus aggregandus est La. omiserunt enim Pc O Am, quorum optimus est Pc, exemplum 13; pro 21 (*παραμυθητική*) substituerunt exemplum *παραθαρρυντικῆς* ex appendice exemplorum spuriorum codd. Vat Vb Ha F Ma, de quibus infra p. LVI sq. dicetur, desumptum; pro exemplo 36 (*μετριαστική*) et ante 41 (*μικτή*) nova exempla eiusdem generis interpolaverunt, in calce duodeviginti exempla nova maximam partem ad exemplar genuinorum ficta addiderunt. praeterea Pc in margine inferiore alterum exemplum (5) *εἰρωνικῆς* exhibet solus (p. 23, 4 adn.). La autem ceterum cum Pc O Am congruens pro exemplo 13 aliud substituit, quod in codd. Px Py aliis legitur (p. 25, 9), et ante illud exemplum *παραθαρρυντικῆς* in Pc O Am interpolatum *παραμυθητικήν* genuinam inseruit.

A quibus codicibus non longe abhorrent Vt Pal B WP PaPb, qui epistolam 13 praetermiserunt, pro 21 eandem *παραθαρρυντικήν* supposuerunt, exemplo genuino *μικτῆς* (41) omissa spurium exemplum codicum Pc O Am La prae-

bent¹⁾. exemplum autem 36 in VtWBP mutilatum, in Pal omisum est. sed cum codices OPc et BWPPaPb multis aliis locis, quibus sive textum mutaverunt²⁾ sive aliquid aut addiderunt³⁾ aut omiserunt⁴⁾ sive ordinem verborum inverterunt⁵⁾, inter se congruant, omnes ex eodem archetypo fluxisse apertum est. ex hoc parente duae stirpes procreatae sunt, quarum utraque per se textum novis commutationibus affecit. cf. quae OPc p. 14, 1; 21, 1; 25, 15; 31, 10 addiderunt, p. 15, 2; 16, 14; 18, 4 omiserunt, quibus locis per errorem, inversione, alia de causa textum mutaverunt p. 14, 1, 12, 13; 16, 4; 17, 1; 18, 8, 12; 19, 12; 20, 12; 23, 9; 25, 2; 27, 2; 28, 9; 29, 9; 32, 2; 33, 25. BWPPaPb autem proprias diversitates praebent p. 16, 4, 14; 17, 1; 18, 12; 20, 12; 21, 9; 22, 10; 25, 2; 26, 9; 27, 2; 28, 13, 30; 29, 5; 30, 12; 31, 13; 32, 2; 33, 5, 21. aliquid p. 15, 4; 16, 1; 29, 16 addunt, p. 18, 3; 27, 15 omiserunt. praeterea in VtPal BWPPaPb appendix exemplorum spuriorum, quae in OPc AmLa inveniuntur, non inest. illa autem exempla spuria invenies in p. 34.

Iam qualis fuerit archetypus codicum V, U et archetypi codicum Lr OPc AmLa VtWPalBP PaPb, paucis exponam. ex hoc archetypo utrum Va quoque fluxerit necne, propter exiguitatem fragmenti dici non potest. ille autem archetypus omiserat p. 15, 15 ἀν, p. 16, 6 χάριν, p. 27, 8 σοί, p. 33, 1 με, interpolaverat p. 15, 7 ἡ παραίνεσις δὲ εἰς δύο διαιρεῖται, εἰς τε προτροπήν καὶ ἀποτροπήν, qua de causa UD, ut sermonem interruptum sanarent, p. 15, 8 τὴν ἐπιστολὴν post εἶπον addiderunt, p. 26, 3 omiserat οὐ,

1) Sed Pa desinit p. 29, 17, Pb p. 21, 14.

2) v. p. 14, 3, 9, 13; 15, 16; 16, 11; 17, 11; 18, 14; 19, 5, 7, 8, 11, 12; 20, 2; 21, 1; 22, 5, 15; 23, 3; 24, 5; 25, 2; 26, 6, 7; 27, 11; 28, 1; 30, 7, 19; 31, 8; 33, 8.

3) v. p. 16, 1; 18, 11; 23, 4; 29, 13; 31, 3; 32, 21.

4) v. p. 13, 6; 15, 6, 12; 16, 13; 18, 5, 7, 8; 19, 2, 18; 23, 12; 30, 12; 31, 5; 32, 24; 33, 8.

5) v. p. 13, 5; 19, 7; 25, 6; 27, 2.

qua re commotus p. 26, 5 ἢ *πραχθεῖσιν* post *λεχθεῖσιν* addiderat. per errorem praebebat p. 15, 6 καὶ pro ἢ, p. 24, 3 ἢ pro καί, p. 20, 5 μιμούμενοι. in p. 21, 6 V ὑπέγραψαι, U ὑπογράψαι exhibent, quod O Pc B W Pa in ὑπογράψαιμι, P autem in ὑπογράψαι μοι correxerunt, in archetypo fortasse ὑπογράψομαι inerat. p. 19, 5 archetypus δι' ἧς praebebat, qui error facile oriri poterat, cum ceterae omnes definitiones ab illis verbis incipiant; ego quidem δὲ ἦν scribendum esse censeo. eodem pertinet, quod in omnibus codicibus non exemplum *αἰνιγματικῆς* p. 32, 18 legitur, sed solutio aenigmatis. in epistula ipsa, quae intercudit, scriptum oportuit *μὴ τὴν ἀλλοτριάν ἀρόσης*, ut Hercher¹⁾ dicit, vel rectius *Τίς ἀλλοτριάν γῆν γεωργῶν δίκαις περιπίπτει*. exempla autem (13) *ὄνειδιστικῆς*, (21) *παραμυθητικῆς*, (36) *μετριαστικῆς* in archetypo illo omissa erant, quae res eo probatur, quod epistulam 13 omnes codices, 21 et 36 V U omiserunt. pro 21 (*παραμυθητικῆ*) archetypus codicum Pc O B W P Pa Pb Pc Am La Pal Vo *παραθαρρυντικῆν* interpolaverat, quae a *παραμυθητικῆ* diversa est. neque ullius momenti est, quod La ante hanc *παραθαρρυντικῆν* exemplum quoddam *παραμυθητικῆς* praebet, quod, cum codex ab eodem archetypo atque Pc O Am pendeat, aliunde oportet desumptum esse. neque *μετριαστικῆ* archetypi codicum Pc O Am La vera esse potest, quod alii codices, de quibus infra dicitur, aliud exemplum propagaverunt. Omnes autem familiae, quae ex illo archetypo derivatae sunt, textum de suo commutaverunt. quae res, cum de ceteris codicibus supra dictum sit, iam de V et U demonstratur. V enim quamquam nonnullis locis verum solus praebet (velut p. 16, 4 *περί*, p. 16, 7 *μόνον*, p. 18, 17 *τινα*, p. 20, 2 *ἐπιστολῆς*, p. 20, 16 *ἀπομηκύνειν*, p. 23, 3 *φίλων*, p. 25, 5 *ἧς*, p. 26, 7 *ἥπερ*, p. 28, 2 *τῆς πολλῆς*, p. 29, 2 *οἴκουμένη*, p. 30, 11 *καλῶν*, p. 31, 1 *ὑμῶν*, p. 32, 1 *σκοπῶν*), tamen multis locis textum depravavit, velut p. 14, 6 *ἐκφερομένων*, p. 15, 7 *τροπήν*, p. 15, 11 et 15, 13 *εἶπη*, p. 16, 2 *ἀνιστῶμεν*, p. 16, 5 *κατ' αὐτοῦ*,

1) Epist. gr. p. LXXXVI.

p. 20, 12 λογίμου, p. 22, 7 πάλιν, p. 23, 2 παρασκευάσω, p. 27, 12 συμπράττειν, p. 27, 13 ἐτύγγανον, p. 29, 10 ἀγαθόν al., non raro vocabulum quoddam omisit (p. 14, 1 οὖν, p. 14, 11 φιλική, p. 14, 12 συμπαθητική, p. 14, 14 παραμυθητική, p. 15, 3 μετριαστική, p. 15, 11, 14 ὅτι, p. 15, 13 συμβουλευτικός, p. 20, 13 τῆς συμμετρίας, p. 29, 12 σῆς, p. 32, 19 φυλάττου, p. 33, 3 λίαν), quin etiam p. 14, 2 ἐρεῖ δέ τις ἐν αὐτῇ ὥσπερ παρῶν τις πρὸς παρόντα omisit, quae postulantur, cum auctor primum quid sit epistula, deinde quid in ea scribi possit, tum de variis epistulae generibus disserere sibi proposuerit, item p. 18, 1 ἡ οὖν ἐπιστολή — 18, 3 ἐγκωμιαστική. pessime vero V p. 26, 2 exemplum spurium ex appendice codicum OPcAmLa desumptum interposuit. quibus rebus V principatum non tenere, sed modo hunc codicem genuina servavisse modo illum satis evincitur. itaque unoquoque loco codicum auctoritas examinanda est.

Sed ut ad huius capitis finem perveniamus, Va p. 22, 14 σῆν, p. 23, 5 ἔνεκα, p. 24, 6 ἀνδρῶν, p. 27, 12 ἀεί falso omisisse apertum, p. 24, 9 vero διαβολὴ γὰρ μήτηρ ἐστὶ πολέμου, cum auctor ipse proverbiiis sententiisque epistulam ornari oportere dicat, iniuria omisisse verisimile est. quamquam aliis quoque locis falsa praebet p. 23, 1, 7; 24, 11; 28, 29, 30, tamen verum duobus locis (p. 22, 2 καλῶς; p. 24, 8 ἦ) servavit neque omnino abiciendus est.

β) Alteram vero recensionem

nobis servaverunt codices

A = Ambrosianus B 4 sup. (81 Mart.-Bass.) cuius vetustior pars inde a folio octavo membr. saec. X formae 12,8×8,5 exempla 23—41 continet. folia septem priora chart. supplevit manus saec. XVI ex codice aliquo prioris recensionis. antiquioris partis imagines luce expressas contuli.

Px = Parisinus gr. 1630 (fol. 166^v—179^v) bomb. formae

octavae min. saec. XIV, cuius diversitates ex Hinckiana et Westermanniana¹⁾ editionibus excerpſi.

Py = Parisinus gr. 2551 (fol. 119^r—123^v) chart. saec. XV ex Hinckii editione mihi notus est.

H = Palatinus 43 (Heidelbergensis)²⁾ bomb. formae quartae saec. XV, quem non interiisse — ut Hinckius dicit p. 550 adn. — sed Heidelbergae asservari R. Foerster me docuit. cuius codicis discrepantias ex editione Westermanniana desumpsi.

Vin = Vindobonensis philos. et philol. 149 (fol. 169 sqq.) chart. formae quartae saec. XV miscellaneus³⁾. de quo codice quae Hinckius protulit recepi.

Pz = Parisinus gr. 1749 (fol. 24^r—25^v) chart. formae octavae, quem saec. XVI scriptum esse dicit Hinck, XVII. Omont⁴⁾ et Foerster, fragmentum tantum (p. 13, 1—15, 4; 19, 7—21, 7) continet quod desinit media in linea verbis: *οἰκείαν ἀρμόσας προσηγορίαν*. apparatu Hinckiano usus sum.

D = Darmstadinus 2773 (fol. 300^r—303^v) bomb. formae 21, 7 × 14, 3, saeculo XIV exeunte vel XV ineunte scriptus, quem accuratissime descripserunt L. Voltz et W. Croenert in actis, quae dicuntur Centralblatt für Bibliothekswesen vol. XV p. 537 sqq. quibus locis ab editione Hercheriana codex divergat, Carolus Denig in programme gymnasii Moguntiacensis a. 1899 p. 16 sqq. docuit, qua commentatione usus sum.

Ox = Oxoniensis misc. gr. 104 (fol. 140 sqq.) chart. formae 19, 5 × 14, 5 saec. XVI, de quo humanissime me docuit H. Rabe.

1) Procli Platonici de conscribendis epistolis libellus (progr. univers.), Lipsiae 1856.

2) H. Stevenson, Codices mss. Palatini graeci bibliothecae Vaticanae, Romae 1885, p. 23.

3) Nessel, Cat. Biblioth. Caesareae manuscriptorum codicum p. 83 sq.

4) Omont, l. l. II 134.

Hi codices omnes ex eodem fonte derivati sunt, qui ab archetypo prioris recensiois haud multum diversus erat. praebebat enim idem exemplum (37) αἰνιγματικῆς, omiserat exempla 13, 21, 36. is autem, qui hanc recensioem confecit, singulas epistulas titulo ἡ ἐπιστολή praemisso cum definitionibus conexuit, textum hic illic paululum mutavit, exempla omissa non supplevit. quae res, quamquam priorem partem codicis A, non solum veterrimi sed etiam optimi testis (cf. p. 29, 8; 30, 3; 31, 8, 15; 32, 1; 33, 5; 34, 3, 5), intercidisse maxime est dolendum, tamen, quod ad (21) παραμυθητικὴν attinet, e dissensu codicum HPxPy Vin D apparet, quod ad (36) μετριαστικὴν in A D omissam, non minus aperta est, quod ad (13) ὀνειδιστικὴν, cum certissimus testis A desideretur, concludi potest. exemplum autem μετριαστικῆς, quod in Px Py H Vin legitur, ut R. Hercher¹⁾ vidit, ex Theophylacto Simocatta²⁾ depromptum est. praeterea nonnullis archetypi locis textus commutatus erat, qui sunt inde a p. 29, 1 hi: p. 29, 9 ἀεὶ add., p. 29, 12 καὶ ἐν τούτῳ τὸ μεγαλόψυχον τῆς ὑμετέρας ἀρετῆς ἐπιδεικνύμενοι, p. 31, 3 τῶ ζητουμένῳ, p. 33, 7 εὐπρεπῶν. attamen codices non ab omnibus partibus congruunt, sed tres repraesentant familias, quarum unam A, alteram D, tertiam Px Py Pz H Vin Ox efficiunt. cum de A supra iam dictum sit, D a tertia familia diversum esse, Px Py Pz H Vin ex eodem fonte fluxisse his locis collatis demonstratur. praebent enim

	D	Px Py (Pz) H Vin
p. 15, 6 ἡ — 17	κατασκαφή	om.
p. 19, 7—21, 15	om.	exstant
p. 22, 12	κατόκνησῆς	κατοκνήσαις
p. 23, 6	om	σῆ
p. 24, 2	ὑπὲρ	περὶ
p. 24, 7	μὴ φαῦλα	μηδὲν φαῦλον
p. 24, 11	γεωργόν	ἄνθρωπον
ibid.	εἰς ἡμᾶς ἀνατρέχουσαν τὴν ὕβριν	εἰς ἡμᾶς ἀνατρέχουσαν

1) Ep. gr. p. XII.

2) Ep. 28 ed. Hercher.

p. 25, 5	μεταδοῦναί μοι ταύ- της	μεταδοῦναι δέ μοι
ibid.	om.	διὰ τὸν κύριον
p. 25, 16	τινος συμβεβηκότος σοι δεινοῦ	τινων συμβεβηκότων σοι δεινῶν
ibid.	τὸ θεῖον	τὸν κρείττονα.

PxPy (Pz)H minutiis inter se differunt, quas afferre longum est. codex Vin autem huic familiae iure tribuendus nonnullis locis a librario ipso codicem familiae PcO adhibente correctus est, quae res locis his collatis demonstratur:

	Px	O	Vin
p. 22, 5	κακίας	ἀδικίας	κακίας ἢ ἀδικίας
p. 22, 10	τυγχάνωσι	πεφύκασι	τυγχάνωσι ἢ πεφύ- κασι
p. 23, 9	γραμματη- φόρων	γραμματοφόρων	γραμματοφόρων
p. 23, 11	προσερεῖν	προσφθέγγεσθαι	προσφθέγγεσθαι supra προσερεῖν scr. m ¹
p. 24, 1	πάλιν	ὡς πάλαι	ὡς πάλαι
p. 24, 5	ἤλπισας	ἤλπιζες	ἤλπιζες.

Ox vero, quem codicibus PxPy PzH Vin aggregandum esse Rabii schedulis usus mihi persuasi (cf. p. 13, 1, 14, 9 αἶδε, p. 21, 4 προσενεκτέον, p. 34, 5 φιλοσόφοις γὰρ διαβολή), ante Procli libellum fragmentum eiusdem tractatus praebet ita: Ἐπιστολή ἐστὶν ὁμιλία τις — διαιρεῖται δὲ εἰς διαφόρους προσ-
ηγορίας τάσδε. cf. p. 14, 1—4. Παραινετική δι' ἧς παραινου-
μεν — ἐρωτική, μικτή, quarum definitiones omissae sunt
(p. 15, 5—19, 6).

γ) De codicibus deterioribus.

Accedunt his multi codices deteriores, quos, ut quanta auctoritate per totum medium aevum ille libellus fuerit, demonstremus, omnes enumerare nobis proposuimus. qua in re vir doctus Hugo Rabe summa liberalitate me adiuvit,

ut omnium fere codicum infra dictorum notitiam ex uberimis illius schedis mihi comparaverim. itaque, ne illius viri de me optime meriti nomen in omni fere codice describendo afferam, ubi aliud non notavi, me ex Rabii¹⁾ fontibus hausisse puta.

Sunt autem inferioris notae codices

Vaticanus gr. 942 (fol. 61^r sqq.) chart. saec. XV, qui fragmentum prioris recensiois desinens in verba (p. 21, 14) *κατόπιν αὐτῶν βάλειν* continet. qui codex, quamquam idem ac Pb fragmentum praebet, tamen ex eodem fonte fluxisse non potest, cum et secundae recensiois titulum *Περὶ τοῦ ἐπιστολιμαίου χαρακτηῆρος* gerat et aliis locis a Pb divergat. cf. p. 14, 8 *ὑπόκειται, αἶδε*, p. 21, 4 *προσεκτέον*.

Oxonienis misc. gr. 242 (fol. 75^r—80^r) formae 22×16 cm chart. saec. XVI, qui formam servavit secundae recensiois initio mutilam et titulo prioris recensiois instructam (*Λιβανίου σοφιστοῦ ἐπιστολιμαῖοι χαρακτηῆρες*). incipit autem: *Οἱ χαρακτηῆρες τῶν ἐπιστολῶν εἰσὶν μὲν αὗται*. II. *παραινετική—καὶ μικτή*. sequuntur definitiones cum singulis epistulis coniunctae (III+V): *Παραινετική μὲν οὖν ἐστὶ δι' ἧς—καταθυμίων ἐπαπολαύων*. cuius fragmenti auctorem codices utriusque recensiois adhibuisse, cum voces *αὗται* p. 14, 8 et *ἐπαπολαύων* p. 33, 25 cum codicibus BWP congruant, verisimile est.

Sed longe alio modo e duabus illis recensioibus unam composuit auctor alius familiae, quam repraesentant codices

Br = Bremensis plut. I. b. 23 bomb. formae 22×15 cm, saec. XIV.²⁾ cuius codicis a bibliothecae publicae Bremensis moderatoribus comiter mihi Vratislaviam transmissi diversitates in adnotatione critica posui. continet autem fol. 233^r *Λιβανίου σοφιστοῦ ἐπιστολιμαῖοι χαρακτηῆ-*

1) Cf. nunc etiam Rabe, Mus. Rhen. 64 (1909), p. 298 sqq.

2) Cf. H. Omont, Mss. grecs des villes hanséatiques, Centralblatt für Bibliothekswesen (1890), vol. VII p. 369 sqq.

ρες, caput I, p. 13, 1—14, 9 et V, p. 21, 16—34, 5 omissis epistulis 13, 21, 36.

Sequitur in folio 235^v initium libelli Ἐπιστολικοὶ τύποι inscripti (p. 1, 1—3, 5). Τῶν ἐπιστολικῶν τύπων—γραφόμενος¹). cui subiunctum est (fol. 236^r—236^v) Πρόκλου περὶ ἐπιστολιμαίου χαρακτηῆρος. Δεῖ τὸν ἀκριβῶς—βαίνειν (p. 19, 8—21, 14).

Laurentianus (conventuum suppressorum) 20 (olim abbatae Florentinae 2741)²) chart. formae 20×13,5 cm. scriptus a Leone Monomacho anno 1341³). insunt autem (fol. 74^r) Λιβανίου σοφιστοῦ ἐπιστολιμαῖοι χαρακτηῆρες. (fol. 76^v) Ἐπιστολικοὶ Τύποι⁴). (fol. 77^r) Πρόκλου περὶ ἐπιστολιμαίου χαρακτηῆρος.

Ex eodem fonte, quamquam initium Τύπων omisit, fluxit Parisinus gr. 2562 bomb. saec. aut XIV aut XV qui (fol. 140^r—142^r) idem fragmentum ἐπιστ. χαρακτηῆρων atque Br et Laur. conv. supp. 20 inscriptione omissa praebet, cui in fol. 142^r succedit <Π>ρόκλου περὶ ἐπιστολιμαίου χαρακτηῆρος. <Δ>εῖ τὸν ἀκριβῶς—βαίνειν (p. 19, 8—21, 14).

Hoc loco nolo omittere fragmentum nonnullos locos a ceteris omnibus codicibus diversos praebens, quod nobis servavit codex

